AD DIEM 28. JULII ANNO MDCCLXXIX.

HORA NONA

IN AULA INTERIORE COLLEGII Ss. TRINITATIS.

CONATUS EXEGETICUS,

in cap. *Eam te* 7. de Rescriptis,

QUEM

UNA CUM PARERGIS, EX OMNI JURE,
NEC NON EX RE MONETARIA, TUM BIBLICO-CANONICA,
TUM TREVIRENSI DELIBATIS,

Subjunctâ crisi in feralem historiam
CAROLI MARTELLI,

Monumento & nummo hactenùs non excuso
MILONIS, ARCHIEPISCOPATUUM,
REMENSIS & TREVIRENSIS, INVASORIS,

PRÆSIDE ME

GEORGIO CHRISTOPH. NELLER

J. U. D. ad Ss. Theolog. Doctoratum admisso, Ss. Canonum Professore ordinario, nunc totius Universitatis Trevir. in Facultate juridicâ Seniore, insignis Ecclesiæ collegiatæ ad S. Simeonem Canonico inter presbyteros capitulari, & Bibliothecario, Rmi & Srmi Domini Archiepiscopi Trevir. S. R. I. Principis Electoris Consiliario intimo, & Examinatore synodali &c.

PUBLICÆ DISPUTATIONI
PRO ADMISSIONE AD TENTAMEN GRADUANDORUM
SUPPOSUIT

Prænobilis, ornatissimus, ac perquam eruditus
D. CAROLUS JOSEPHUS EMBDEN, Kirnensis,
Juris utriusque, nec non S. R. I. publici & Historiarum
auditor.

Augustæ Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.

7440 E 401

OPPUGNANTES.

Nobiles, ornatiſſimi, & perquam eruditi

D. JOANNES JOSEPHUS VOSSEN, Aquenſis, Jur. utr. nec non S. R. I. publici & hiſtoriarum auditor.

D. PHILIPPUS WILDERICUS MACHER, ex Lorch Rhingavus, Philoſoph. Baccalaur., Jur. utr. nec non feudalis, & S. R. I. publici & hiſtoriarum Auditor.

Ex ſcientiæ Sinicæ Confucii lib. 3. part. 1. §. 2.

Sic diſce ſemper, quaſi nondum perveneris: imo etiamſi quid didiceris, time, ne amittas.

A. 4577.

D6



REVERENDISSIMO, ac SERENISSIMO

DOMINO

D. WILHELMO FLORENTINO

DEI GRATIA

S. R. I. PRINCIPI

DE SALM-SALM,

DUCI HOOGSTRATÆ, WILDGRAVIO DE DUNA ET KYRBURGO, RHINGRAVIO DE STEIN, DYNASTÆ ANHOLDIÆ, VICECOMITI ALOSTI, DOMINO DE LOONOPSAM &c. &c.

EPISCOPO TURNACENSI,

ECCLESIARUM, METROPOLITANÆ COLONIENSIS, ET CATHEDRALIS ARGENTINÆ CANONICO CAPITULARI &c. &c.

HARUMQUE THESIUM

Patrono, Suóque Mæcenati, ac Domino Clementissimo.

Reverendissime Serenissime Princeps & Episcope,

DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

Permissu TUO gratiosissimo, REVERENDISSIME ET SERENISSIME PRINCEPS, pagellas hasce tuos ad pedes humillimè depono, in aliquale testimonium mei nunc ferè triennalis in studio Ss. canonum & legum progressûs, in tesseram verò publicam submississimæ gratitudinis, quam TIBI & Serenissimæ Domui TUÆ mecum non tantùm parens meus debet, sed & plures alii ex familiâ meâ plurimis ejusdem beneficiis debuerunt: nam à morte Johannis X. *Wild- & Rhingravii Kirburgensis, ex connubio cum Serenissima Principe Palatina Veldensi Anno 1688. sine prole fato functi, sicque dimidiâ ejusdem successione in Serenissimam Lineam SALMENSEM devolutâ, proavunculus meus ab Ufflingen in honore Consiliarii intimi & Archi-Satrapæ Kirburgensis, post eum proavunculus meus Fey in munerè Consiliarii, & vice Archi-Satrapæ*

trapæ Kirburgenſis, & denique pater meus ſex & viginti nunc annis, atque ita majores mei per integrum ferè ſæculum in ditionibus Wild- & Rhingravicis, ùt confido, non ſine fructu, ſaltem non ſine gratiis, Sereniſſimæ Familiæ TUÆ in hunc usque diem Kirnæ inſervierunt; felix, terque felix ero, ſi idipſum de me exemplo propinquorum meorum tracto prædicare poterit tempus. Conatûs ſucceſſum non modò non deſpero, ſed etiam cum fiduciâ ſpero; quid enim non efficeret ſpiritus ipſo cum ſanguine in me traductus, ſervitii utilis exhibendi, præcipuè ſub Tuis REVERENDISSIME ET SERENISSIME PRINCEPS CONTUTOR, ET SERENISSIMÆ CONTUTRICIS Fratriæ auspiciis? quorum perpes atque tenerrima ſollicitudo, non tantùm optimæ educationi confiſorum ſibi Principum minorum ſeſe continuò impendit, ſed & clementia juxta

diſtri-

distribuentem jura cuique sua justitiam, stirpi Tuæ Serenissimæ propria, in gubernandis Salm-Salmensibus terris, admiratione universali, ad ultimum usque subditum extenditur. Notum est, TE, REVERENDISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS, *adulationum quarumvis osorem esse, me verò encomiis virtutum Tuarum recitandis tam imparem agnosco, quàm indignum. Loquantur ergo me tacente illuster Clerus, populusque Episcopatus TUI, loquantur indigenae omnes terrarum Salm-Salmensium; vox hæc populorum potentior meâ est, quia Dei vox est. Accipe verò conamen hoc meum pro innata TIBI benignitate animi, hásque adolescentis in horto Jurisprudentiæ laboris mei primitias obtutu clementissimo dignare,* PATRONE PRINCEPS SERENISSIME, *à devotissimo clientulo, cui si facultas, saltem voluntas nunquam deerit, clementissimâ*

tissimâ exspectatione TUA me pro viribus dignum reddendi, qui Serenitatis Tuæ longævam à Deo vitam ardenter flagitans, Principale verò auspicium iteratò demississimè efflagitans, pedibúsque TUIS humillimè advolutus pontificalis dexteræ benedictionem rogo, perennaturus

Reverendissimæ Serenitatis Tuæ
Episcopalis

Servorum infimus
CAROLUS JOSEPHUS EMBDEN
Kirnensis.

CONATUS EXEGETICUS

IN

Cap. *Eam te* 7. de Reſcriptis.

TEXTUS.

Alexander III. Tornacenſi Epiſcopo.

Eam te (& infra) *dudum ſiquidem ante tuam promotionem literæ à nobis, ſi benè meminimus, emanârunt, quibus* Decano & Eccleſiæ tibi commiſſæ (*te adhuc in eodem Capitulo exiſtente*) mandatum *dedimus* & præceptum, *ut P*, qui de gente Judæorum originem duxit, *ſed divinâ gratiâ fidem Chriſti ſuſcepit*, in canonicum *reciperent*, & *præbendam ſibi conferre deberent* (& infra) *Ipſi verò*, quia donatio præbendarum ad te ſpectabat, *præceptum noſtrum executioni non potuerunt mandare. Cùm itaque præſcriptus P. te ſuper hoc* ex parte noſtrâ requireret, *reſpondiſti*, quòd nullum inde mandatum receperas, & *ſic eum à te infecto negotio remiſisti. Quod nullatenùs feciſſe deberes, ſi* data literarum *diligentiùs attendiſſes*; cùm tempore, quo literæ ipſæ datæ fuerunt, de capitulo ipſo eſſes, ſicut qui eras archidiaconus, & canonicus ejusdem eccleſiæ, *nec eſſes adhuc in epiſcopum conſecratus.* (& infra) *pro eo verò* quòd Judæus extiterit, *ipſum dedignari non debes.*

NOTÆ.

1. *Alexander III.* P. M., quocum longa graviaque diſſidia habuit *Fridericus I.* Imp. ſedit à 7. Septembr an 1159. usque 30. Aug. 1181, & ab an. 1160. usque 1177. turbulenta paſſus eſt tempora.

2. Epiſcopus *Turnacenſis*, ad quem *Alexander* ſcripſit, erat *Everardus* gente nobilis, conſecratus anno 1173, defunctus an. 1190 vel 91. menſe Decembri.

3. Non rectè *Emman. Gonzalez* hic lit. a annotavit: *de Gerardo Turnaci præſule, qui floruit usque ad an.* 1171, *in præſenti agitur*, nam is, qui fuit usque ad an. 1171. hujus loci epiſcopus, nec vocabatur *Gerardus*, ſed *Gualterus*, quem præceſſit *Geraldus*; nec antea fuit *Archidiaconus* Turnacenſis, ſed Decanus.

4. Meliùs itaque FF. *Sammarthani* Galliæ christianæ *Tom.* 3. *Col.* 214. scripserunt: *De hoc episcopo* (Everardo) *interpretandum est, quod dicitur in Cap. Eam te* de Rescript. *in secundâ* collectione decretalium, nempè *Joannis Gallensis*, quam edidit *Antonius Augustinus*, archiepiscopus Tarraconensis, unà cum prima, tertia, & quarta.

5. Cur, *Gualtero* jam an. 1171, mortuo, *Everardus* modò an. 1771. fuerit consecratus in episcopum, ita ut anno 1779, saltem septimum sui pontificatûs annum compleret, causa fuit, quòd obeunte *Gualtero*, favente *Philippo Alsatâ*, Flandriæ comite, interim cancellario ejus *Roberto*, Brugensi & Ariensi Præposito, regimen *Turnacensis* simul ac Atrebatensis ecclesiæ commendatum fuerit, ad utramque cathedralem postea electo; quibus tamen ante consecrationem dimissis, maluit amplecti Cameracensem; & tunc modò ad *Turnacensem* electus est *Everardus* archidiaconus, & an. 1773. consecratus. Ex *Galliâ Christianâ* de Eccles. Atrebatens. *sub Roberto II.* Port quoque illa consecrationis retardatio adscribi atrocissimo, ùt vocat laudata Gallia Christiana, bello, quod per id tempus gessit *Henricus I.* Remensis, tunc Metropolita electi Turnacensis, cum comite Trecensi.

6. Præsenti Alexandrinæ decretali detracta esse fragmenta, indicat signum (*Et infra*) ter interpositum; nec supplentur ad pedem capituli resecata literis cursivis, sicut in multis aliis capitulis decretalium *Gregorii IX* typo excusarum suppleta cernuntur: neque verò cit. *Gonzalez* decretalem hanc more aliàs suo refert totam, sine dubio relaturus, si eam alicubi reperisset integram; Imo nequidem secunda Compilatio, ex cujus *cap* 3. *h. t.* S. Raymundus hoc *cap.* 7. accepit, integrum ejus fontem dedit; nam quater habet: *Et infra.* Vid *Corpus Jur. Can.* just. Henning. *Böhmeri*, ubi prostat hæc decretalis integrior quidem, sed qualis solummodò legitur in 2. *Compilatione.*

7. Aliud quoddam est cap. *Eam te* 4 de ætat., quod putat *Gonzalez* esse unum de fragmentis à *cap.* 7. *de rescript.* resecatis; idem censet J. Henning. *Böhmerus* in notis ad istud, cum cap. *cæterum* 5. *de judic.* cap. *ad hæc* 27. *de appel.* & cap. *Eam te*, 22. *de jure patron*; cúmque in cap *Eam te* 4. de ætat. inscriptio ejus, ad quem data sit ista Decretalis, desideraretur, censuit *Gonzalez*, sic eam restituendam fore: *Alexander III. Tornacensi Episcopo*: sed non inducor, ut assentiar: equidem *cap.* 5. de judic. *cap.* 27 de appel. *cap.* 22. *de jure patr.* lubens refero ad Decretalem *Eam te* 4 *de ætat.* Sed nullum istorum quatuor ad Decretalem *Eam te* 7. de *rescript.* referre audeo; tum, quia ad *cap.* 5. *de judic.* notatur, quòd in veteribus legatur inscriptio hæc. *Idem E*, i. e. *Idem* (Alexander III.) *Eidem.* (nempè *Salernitano archiepiscopo*) ad quem *cap.* 4. eod. erat missum; tum præcipuè, quia ubi vellemus ex dictis quatuor capitulis construere unum contextum cum capitulo *Eam te* 7. *de rescript.*, non inveniremus, quòd verba *cap.* 4. *de ætat.* quadrent initio narrativæ *cap.* 7. *de rescript.* quæ est: *DUDUM SIQUIDEM ante promotionem tuam:* quî enim hoc connecteretur huic principio *cap.* 4. de ætat. *Eam te decet in ordinandis Ecclesiis curam habere, ne nullus eis contra decreta, quæ in Lateranensi concilio edidimus, vel etiam contra antiquas sacrorum canonum sanctiones clericus ordinetur, sed tales in ipsis fatagas ponere, qui commissi sibi gregis curam commodè gerere possint, & exemplo boni operis ad virtutes invitent. Inde est quod præsentibus literis tibi arctiùs inhibemus, ne personas, quæ*

in

in ecclesiis tui episcopatûs ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, vel aliqua occasione, vel etiam literarum nostrarum obtentu, instituì patiaris, quæ scientiâ, moribus, & ætate concilii non congruant institutis: sed etiam plures habentes ecclesias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat appellatione postpositâ cogere ad unam ipsarum, quam maluerint, dimittendam, nisi ita fuerint tenues in substantiâ, quòd proprios sacerdotes non possint convenienter habere. Illas autem ecclesias, de quarum patronatu controversia fuerit, si infra sex menses, postquam vacaverint, non fuerit quæstio terminata, licitum tibi sit de persona idonea, sublato appellationis obstaculo, ordinare. In cujus decretalis contextu cohærent duo capitula, nempe *cap.* 4. *de ætat. & cap.* 22. *de jure patr.* Sed quomodo connectetur *cap* nostrum *septimum*, ejúsque verba: *Dudum siquidem*, cujusmodi solent statim post exordium alicujus epistolæ decretalis poni? & quinam textus inseretur in illo loco vacuo, qui notatur per secundum *Et infra?* Neque enim eò quadrabit sive *cap.* 5. *de judic.* sive cap. 27. *de appel.* ubi supra ponitur: *p. c. Eam te* id est, pars capituli *Eam te* de ætate. Agit hoc de *cogendis appellantibus*, ut aut appellationem prosequantur, aut pareant sententiæ; dictum verò *cap.* 5 vult non debere præteriri judicium feudale; neutrum poterat interpolare primam & postremam partem *cap.* 7. de eo, qui Judæus fuit, ad canonicatum ecclesiæ cathedralis aspirante. Denique corpus juris canonici editum à *Böhmero* habet quartum *Et infra*, & post illud verba compilationis 2. à S. Raymundo resecata: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum in canonicum ecclesiæ tuæ recipias, & ei stallum in choro & locum in capitulo assignes*; ex quo apparet principium, media, tam omissa quàm retenta, & finem ejusdem argumenti fuisse atque historiæ à capite usque ad calcem.

7. Existimo igitur, nostrum *cap.* 2. unius simplicis tantùm argumenti fuisse, nec in fonte suo constitisse ex *variis Alexandri III.* circa diversa juris puncta *resolutionibus*, quas posteà compilatores à tota decretali divulsas sub aliis, pro eo atque sibi congruere videbantur, titulis posuissent; sed

8. Hoc rescripto unicè peti paritionem episcopi Turnacensis erga *mandatum de providendo*, quod dederat Papa pro Petro, quondam Judæo, ad decanum & ecclesiam *Turnacensem*, dum *Everardus* nondum erat in episcopum *consecratus*, consequenter ante 1773. Capitulum Tornacense excusavit se ex eo, *quia collatio præbendarum ad se non pertineret*, sed ad episcopum:

9. Impetrans Petrus exspectavit, donec *Everardus* esset episcopus: huic verò cùm præsentaret impetrans dictum mandatum & præceptum, aliàs Capitulo directum, ille vacuum remisit, causatus, quòd ipse mandatum hoc *Alexandri* non recepisset. Propter quod diffugium

10. *Alexander III. Everardo* dedit *præsens mandatum* juxta resecatum capituli finale, supra *num.* 6. ex Corpore juris *Böhmeriano* relatum, ut eum reciperet in canonicum Turnacensis cathedralis.

11. An paruerit *Everardus*, mihi non constat, nec facilè à vetustate supererit protocollum vel actus receptionis. Quo verò anno hæc decretalis scripta fuerit & insinuata

Everardo, non divinabo: ſi verum eſſet, quòd *cap. 4. de ætat.* ſit pars præſentis *cap.*, certum foret, quòd inter annum 1179. & 1181; cùm in *d. cap.* 4. provocetur ad Concil. *Lateranenſe III*, an. 1179. celebratum.

12. Nequit in præſenti temporis dubio firma conjectura peti ex verbo: *dudum*, quo utitur ingreſſus præſentis capituli; hoc ſiquidem verbum mox paucos, mox multos annos vel dies deſignat. *Barnab. Briſſon.* libro præclaro de V. S. ad hoc verbum, ubi ex *cod. Theodoſ.* exempla; alia etiam ex primæ notæ authoribus dat *Trebellius* in *Promptuario*, ſive Lexico latino.

13. *Mandatum*, inquam, hìc recepit *Everardus*, ſed ſimplex; Decanus verò & Capitulum Turnacenſe dudum receperant *mandatum & præceptum*, ſive ſeorſim, ſive conjunctim iisdem in literis apoſtolicis; quaſi *Alexander* Papa in literis ad Capitulum poſuiſſet: *præcipiendo mandamus*, ut *Baldus* explicat;

14. *Mandatum* quippe *de providendo* verbis utebatur benignioribus, ut non tam *jubere* quàm *dare preces* (vide *cap.* 34. *de præb.*) & velut *intercedere* pro paupere clerico videretur reſcribens Papa: ſi collatores verba gratioſa negligebant, ſequebantur *monitoriæ* literæ, graviori ſtylo exhortantes, ut parerent mandato apoſtolico: his quoque ſpretis, *præceptoriæ* ſuccedebant inſtar *præceptorum regiorum*, inquit *Gonzalez* ad cap. 37. *de Reſcript* ubi vide *Gloſſam*: demum contra porrò renitentes dirigebantur *executoriæ* ad delegatos, qui fulminando cogerent contumaces, aut ipſimet authoritate apoſtolicâ præbendæ vacantis poſſeſſionem darent.

15. *Gonzalez* hìc notat *Felinum*, quòd ad textum noſtrum tam prolixè artulerit differentias quatuor inter *mandatum* & *præceptum*: Utique *Felinus* more antiquorum longiùs extra circum vagatus eſt ad aliena à noſtro textu; interim ipſe *Gonzalez* in d. cap. 37. provocat ad noſtrum *cap.* 7, ut probet, eſſe hìc differentiam inter *mandatum* & *præceptum*; quam *Felinus* ex *Ancharano* benè dedit, docente, *mandatum* eſſe *quid medium* inter *conſilium* & *præceptum*; participare enim ab utroque, à *præcepto* quidem, quòd non parens *mandato* peccet, ſicut qui *præcepto* non obedit, à *conſilio* autem, quia qui inſuper habet *mandatum*, non incurrit *pœnam*, incurrit verò qui ſpernit *præceptum*.

16. Per Concordata Germaniæ, & Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 19, abrogata quidem ſunt, quæ à Sæculo XII. frequentata erant, *mandata apoſtolica de providendo*, non tamen propterea ceſſat omnis uſus illorum in Corpore juris capitulorum, quæ de hiſce mandatis agunt; cùm ſerviant in cauſis *precum primariarum*, tam Cæſaris, quàm Archi- & Epiſcoporum, quatenus hæ poſteriores in Germania hodieque vigent; ſunt enim iſtæ primæ preces *vera mandata de providendo*; hinc ſæpius in praxi ejusmodi textus in iſtis caſibus utiliter allegantur.

17. Denique nota, valere poſſe conſuetudinem, ut *epiſcopus ſolus*, excluſo capitulo, conferat canonicatus & præbendas ſuæ eccleſiæ cathedralis, ſicut è converſo, ut ſolum capitulum excluſo epiſcopo, *cap.* 31. *in fine de elect. Cap.* 10. *de conceſſ. præb.*

18. Sanè Turnaci Illmum Capitulum tantùm ad duas nominat collaturo Epiſcopo præbendas,

bendas, videlicet canonici *Scholastici* & *Hospitalarii*: cœteras 40. episcopus, sicut sæc. XII, ita quoque, vigore relationis ab eodem an. 1665. ad summum Pontificem factæ, solus & omni mense, confert; nam ista sedes episcopalis, moris antiqui tenacissima, constanter innititur principiis ecclesiæ primitivis & cleri Gllicani. Omnes autem in canonicos recipiendi debent esse *nobiles* genere, aut in Ss. Theologia vel jure canonico *graduati*, vigore antiqui ecclesiæ hujus statuti, à *S. Pio V.* an. 1589. innovati, atque abinde in viridi observantia manentis.

19. In vicem Illmum Capitulum confert præter 12. majoris altaris sacerdotia, seu magnorum vicariorum beneficia, quindecim pastoratus urbis & suburbiorum, qui sunt vicariatus perpetui plebium & chori: eligit episcopus digniorem in concursu Tridentino repertum, & ad Capitulum remittit, quod impertitur ei collationem, atque ad hanc Episcopus curam animarum: sunt porrò de gremio chori 36 capellaniæ altarum sedium, & 8. bassarum, quas omni mense Capitulum liberè confert.

DIFFICULTAS PRÆSENTIS CAP.

Non parùm hìc laborant interpretes in figendo *puncto* Capituli *vere* eodémque *præciso*; nam

1. *Glossa* istud sic ponit: *si SEDE VACANTE scribitur Capitulo, ut præbendam alicui conferat; episcopus de novo creatus illud adimplere tenetur*; * id quod infra, verbo-*deberes*, illustrat, sic argumentari suadens: *quòdsi aliquid mandatur* Capitulo, *cuilibet de Capitulo sigillatim intelligitur esse mandatum, qui illud implere possit*; ** *Et si TUNC illud facere non possit, ILLUD DEBET FACERE CUM POTUERIT*: *** *Et ita: cùm Episcopus sit de capitulo, tanquam caput,* **** *non poterat dicere, quòd non recepisset mandatum.*

* Supponit *Glossa*, id quod ordinariè fit secundùm *Can.* 13. *dist.* 61, episcopum eligi *ex ipsis canonicis capitularibus cathedralis ecclesiæ*. Si verò contingeret eligi *extraneum*, ajunt quidam, hunc mandato, quod datum est *Capitulo*, neutiquam ligatum iri. Sed hoc aliis numero pluribus non placet; quos inter abbas junior *Panormitanus* hìc n. 14. tenet, idem nihilominùs fore, eò quòd istud mandatum Alexandri fuerit Capitulo, *tanquam Episcopi vices gerenti*, datum, consequenter etiam *cuicunque futuro* Episcopo, licet is non eligeretur de Capitulo.

** Istud dictum, sicut hìc jacet, ampliorem posceret tractatum; qui densum nemus quærit, adeat hìc *Felinum* versu: *aliud singuli, aliud universi:* mihi ad substratam materiam dicere satis sit, quòd *cùm decanus & capitulum gravatur, precibus, vel mandato de providendo, illi saltem singuli graventur, qui EX JURE CESSO CAPITULI habent nominationes præbendandorum:* sicut quando Capitulo placuit, ut solus Episcopus conferat præbendas, quæ de jure communi ad Episcopum & Capitulum simul

pertinent *cap.* 31. *de elect.*; aut ut ſolus decanus parochias, vel alius prælatus ſolus altaria ad capitulum communiter ſpectantia conferat; ceſſionarius enim, ſicut jure & commodo cedentis utitur, ita & feret gravamen. l. 5. *ff. de hæred. vendit.*, cùm vice & authoritate cedentis agat. Optimus textus in *cap. fin. de præb. in* 6. Aliter ſenti de *canonico turnario*, qui precibus non tam gravatur quàm exercere ſuum turnum prohibetur; aliàs nominando conſumeret eum: nempe turnarius non confert *nomine Capituli*, ſed tantùm *Capitulo collaturo* ſubjectum nominat.

*** Hoc non videtur verum, niſi addas, *vice & auctoritate Capituli*; nam ſi aliâ ratione v. g. *dignitatis*, *perſonatûs*, vel *officii*, competat alicui collatio, eum non comprehendet mandatum ad Capitulum in corpore directum, niſi continet clauſulam, *communiter vel diviſim.* cit. *cap. fin.*

**** Quanquam hoc ſit verum, *cap. novit* 4. *de his quæ fiunt à prælat.*; hùc tamen non ſervit; cùm mandatum apoſtolicum expreſsè directum fuerit ad *decanum & eccleſiam epiſcopo commiſſam*, non ad *eccleſiam* ſimpliciter: nempe ſub hac formâ, *decano & eccleſiæ*, intelligitur cathedralis eccleſia *ſeparatim ab epiſcopo;* quâ conſideratione decanus eſt ejus caput, ſicut in aliis collegiatis cathedrali minoribus. Unde ex d. cap. 4. non evincitur *affectio epiſcopi*, potiùs verò hinc, *quòd epiſcopus vice totius capituli contulerit ſolus præbendas*, neque ratione dignitatis *epiſcopalis ſolius.*

II. Alii communiter thema principale poſt abbatem Siculum, i. e. *Nicolaum Panormitanum*, ſic figunt: *SI SEDE VACANTE* ſcribitur capitulo, vel VICES GERENTI EPISCOPI,*** ut præbendam alicui conferat; *ſi creatur epiſcopus, nondum executo mandato, & ad eum ſpectet collatio præbendarum, illud adimplere tenetur.*

* Hunc ſtatum eccleſiæ Turnacenſis omnes Repetentes hìc figurant, nempe *ſede vacante* pro iſto poſtulante reſcriptum fuiſſe *Capitulo interea regenti diœceſin*: ſed videntur *in facto* divinare; cùm nemo pro certo dicere poſſit, quo tempore hæc decretalis ſcripta ſit & inſinuata, an *vivente* adhuc *Gualtero* Epiſcopo, an *mortuo;* neque, an Papa *Alexander* tempore ſuæ datæ *ſciverit* ſedem iſtam vacare, nec ne.

** Si quidem *ſede vacante* Turnacenſi *Robertus* Cancellarius ac Præpoſitus, de quo ſupra in not. 5., fuerit adminiſtrator epiſcopatûs, cadit vicis epiſcopalis geſtio capitulo cathedrali ab interpretibus attributa. Quapropter fruſtra in caſu ſupponitur, ac requiritur, ut *tempore datæ* vel etiam *præſentatæ* decanus & capitulum *vices geſſerint epiſcopi* in adminiſtratione diœceſis; cùm hoc non ſit in textu, neque *cauſalis* Papæ ſe fundet in qualitate *geſtæ vicis epiſcopalis*, ſed in hoc, quòd *Everardus* tunc fuerit *canonicus capitularis.* DDres iſti benè ſciverunt, quòd capitula non gererent vicem epiſcoporum *quoad beneficia ad hujus collationem pertinentia*, per *cap.* 2. *ne ſed. vac.*; adhæc non deprehenderunt apicem in textu, per quem Papa capitulo dediſſet hanc poteſtatem, *expreſsè mandando, ut ipſum hac vice loco epiſcopi concederet præbendam*; delapſi ſunt ergo ad hoc principium cum *Baldo* in hunc textum: *quando ſcribitur capitu-*

capitulo ſuper eo, quod pertinet ad epiſcopum, & epiſcopatus vacat, videtur ſcriptum capitulo TANQUAM VICES GERENTI: ſed unde hæc peregrina fictio, vel interpretatio probatur? *Alexander* Papa nullo verbo inſinuat, frivolam fuiſſe excuſationem capituli; imò faſſus eſt ejus impotentiam in verbis: *ipſi verò, quia donatio prabendarum ad te ſpectabat, præceptum noſtrum executioni NON POTUERUNT mandare.* Nempe potuit hoc præcepiſſe Papa, *per errorem facti* credens, quòd capitulum ſine *epiſcopo*, aut *conjunctim cum eo*, poſſet ordinariè prabendas Turnacenſes conferre; & ſi forte *ibi* epiſcopus & capitulum *alternativè* id poſſent, potuit tamen Papa intentionis fuiſſe, ſolam partem capituli gravare, non etiam epiſcopi.

III. Aliqui, ùt refert *Gloſſa*, cenſuerunt, quòd iſtud *præceptum de providendo* non obligâſſet epiſcopum *de neceſſitate*, attamen *de honeſtate**.

* Hæc interpretatio paucis placuit: ſubſtitiſſet autem, niſi Compilator ſextæ S. *Raymundus* reciciſſet finem decretalis hujus, qui eſt in ſecunda compilatione; quo retento alia facies textui fuiſſet: videlicet Papa præmiſiſſet quidem aliquam objurgationem, quòd epiſcopus illo diffugio uſus ſit, ſed nihil per hoc diſpoſuiſſet, tantummodo verò *novum mandatum epiſcopo quà tali* dediſſet *idemque ſimplex:* ſed reſecatione hujus finalis diſpoſitionis factâ, id, quod priùs tantùm erat refutatio, evaſit *diſpoſitio*, eademque neceſſitans epiſcopum; ac vel ideò torquens interpretes; cùm non caperent, quâ ratione h'c *novus epiſcopus* obligari potuerit per literas *ad decanum & ejus eccleſiam* i. e. capitulum cathredale (*cap.* 12. *de Teſtament.*) directum.

IV. His itaque relictis, ſic pono punctum hujus cap.: *mandatum apoſtolicum de providendo afficit collatorem beneficii ordinarium; & ſi hic jus ſuum alteri de clero ceſſerit, hunc ceſſionarium; licet Papa ejuſmodi ceſſionem ignorans dirigeret literas ad cedentem duntaxat:* Ratio; quia ſubſtantia & intentio reſcripti hæc fuit, ut *impetrans Petrus acciperet præbendam ab eo, qui dare poteſt vel ex proprio vel ex ceſſo jure:* ſupradicto *cap. fin. de præb. in* 6.*

* Itaque *circumſtantia ſedis vacantis*, quæ nequidem in textu noſtro exprimitur, ad rem non facit: nam &, ſi fuiſſet *tempore datæ*, & *præſentatæ* Turnaci epiſcopus, hic affectus fuiſſet *ùt collator ceſſionarius omnium præbendarum ſuæ cathedralis*, licet *decano & capitulo* per ignorantiam ceſſionis inſcriptum eſſet mandatum: & ſi ſedes vacâſſet, *decanus & capitulum* conferre non potuiſſent, ſed impetrans exſpectare debuiſſet, donec novus epiſcopus crearetur: &, ſi anteceſſor epiſcopus, obtento mandato, protractâ verò proviſione, deceſſiſſet, ejus ſucceſſor, præſentatis literis apoſtolicis, affectus fuiſſet; quia non intelligebatur reſcriptum eſſe cuidam *individuali perſonæ*, ſed *genericæ collatoris ordinarii*, quo nomine & epiſcopus & capitulum, & quivis eccleſiaſticus intelligitur, qui *jure proprio vel ceſſo* confert aut donat præbendas. Hanc nodi ſolutionem ſuppeditavit *Baldus* (quanquam & aliam, quam non admitto,

mitto, ſupra theſi II huic copulaverit) dicens: *episcopus non tenetur implere mandatum DE SIMPLICI NATURA VERBORUM, ſed DE NATURA INTELLECTUS*: cujus dicti rationem dedit ſtatim ad ingreſſum ſuæ repetitionis iſtam: *quia intelligitur episcopus tacitè EX NATURA REI MANDATÆ*: Et infra: *aut loquimur QUANTUM AD VERBA, aut QUANTUM AD MENTEM: primo caſu certum eſt, quòd non continetur episcopus, maximè nondum creatus; aut loquimur QUANTUM AD MENTEM & INTERPRETATIONEM JURIS; & tunc mandatum factum capitulo transfertur in episcopum tanquam IN SUCCESSOREM ordinis* (corrige *oneris*) *& honoris.* Arg. *l.* 30. *princ. de fidei commiſſar. libert. & l.* 4. *ff. de legat.* 3. Per ultima verba Bald. voluit dicere, quòd cùm episcopus, ſi ad eum *ſolum* ſpectet præbendarum collatio, ſuccedat capitulo *in honore collationis*, meritò etiam ſuccedat *in onere obſequendi mandatis de providendo*: Vide ſupra theſin I. in not., ubi rem inverti, negans, *vices episcopi agi ſede vacante à capitulo quoad præbendarum collationem*, ſed potiùs inverſo ſermone, *episcopum agere vices capituli quà collatoris ordinarii, ſi quando ad ipſum ſolum ſpectet beneficiorum collatio*; eúmque omnem gravari & affici hiſce mandatis, *qui vices agit capituli.*

SOLUTIO CONTRARIORUM.

V. Neque huic deciſioni obſtat, quòd *nomine decani & capituli* non veniat episcopus, *arg. cap.* 4. *de ſent. excom. in* 6; nam ℟. hoc intelligendum eſſe *de conſtitutione pœnali* e. g. prohibente aliquid *ſub cenſuris.* Imò & in noſtra materia, ſi quas præbendas *capitulum ſolum* donandas habuiſſet, alias autem *episcopus ſolus*, idipſum ultro faterer: at, *ſi hic omnes ſolus contulerit*, *mens & intentio* mandantis Papæ præcipua erat in ſua ſubſtantia, ut gravaretur *collator*, quisquis demum ille fuerit; & licet errore ductus Papa alium gravaret *verbis tenus*, feriret tamen *intellectus* eum, qui in veritate eſſet; neque enim enim eo nomine quicquam periculi ſubditis episcopi impendet, quod eſt motivum *d. cap.* 4. *de ſent. excom. in* 6.

VI. Sed hæc interpretatio videtur repugnare illi verſui cap. noſtri, quo dicit Papa: *cùm tempore, quo literæ ipſæ datæ fuerunt, de capitulo ipſo eſſes, ſicut qui eras archidiaconus & canonicus ejusdem eccleſiæ, nec eſſes adhuc in episcopum conſecratus;* hæc enim evincere videntur, quòd *Everardus* Turnacenſis per mandatum Papæ præceptorium jam tunc affectus fuerit, cùm adhuc erat capitularis, imò *quia Capitularis erat!* ℟. Hoc ſcripſit Papa ad refutandam exculpationem *Everardi*, quaſi *ipſe non recepiſſet hoc mandatum*, cùm tamen *de gremio* capituli eſſet, quod recepit.

VII.

VII. Si inſtes, his præceptoriis *capitulum in corpore* non fuiſſe affectum; *cùm hoc eas non potuerit executioni dare;* ergo multo minùs *ſingulos de capitulo!* R. Ex dictâ causâ capitulum non fuiſſe affectum; nihilominus capitularem *quemlibet* ſub conditione tamen, *quatenùs* quis eorum *fieret epiſcopus*, & ſic totam eccleſiam repræſentaret.

VIII. Ergo ſaltem non affeciſſet *extraneum*, ſi quis epiſcopatum adeptus eſſet! R. Ante mandati inſinuationem C. poſt hanc N. Fuit autem *Everardo* ſatis intimatum hoc mandatum, quando adhuc erat capitularis, transiitque in abſolutam obligationem, ſimul atque ipſe erat epiſcopus factus: atque hoc unicum diſcrimen eſt inter *capitularem* & *extraneum* ad epiſcopatum promotos: huic enim inſinuari deberet mandatum, cùm præſumatur illud ignorâſſe, non verò illi.

IX. At Epiſcopus eſt *novus* homo! *Hinc S. *Gregorius* M. relat. in *can.* 6. *diſt.* 86. mandavit dici Martiano Epiſcopo, *ut cum loco mutet & mentem.* R. Eſt novus homo, quatenùs novam dignitatem & poteſtatem conſequitur, ſed quando hæc ipſa poteſtas epiſcopalis mandato apoſtolico ſemel eſt affecta, novus iſte homo parebit: eſt autem *ex mente ſummi Pontificis* affecta, ſi *ſolus* epiſcopus ſit *collator.*

* Sic ante 50 annos quidam S. R. I. Princeps Epiſcopus, donec erat ſuæ cathedralis decanus, fervidus jurium capituli ſui contra epiſcopum zelotes, conſiliariis ſui regiminis, non auſis conſilia dare capitulo diſplicitura, ſéque à priſtino ejus zelo pro capitulo excuſantibus, reſpondiſſe fertur: *an neſcitis Epiſcopum eſſe novum hominem?*

X. Quid ſi, caſu inverſo, mandatum tale *ad episcopum* datum fuiſſet, cùm *ſolius capituli* eſſet conferre præbendas, ſicut in metropolitanâ Trevirenſi moris eſt? R. Hoc caſu literæ non valerent, ſed circumſcribendæ, & dirigendæ ad capitulum forent novæ: *Arg. Clem. 5. de præb.*; ibi: *Si de beneficio ad cujuscunque episcopi collationem ſpectante alicui conferendo ſcribamus, ſibi ILLUD conferri non poterit, cujus collatio ex negligentia ipſius episcopi ad ejusdem capitulum devoluta exiſtit:* ratio eſt, quia capitulum nec repræſentat episcopum, nec ab episcopo accepit poteſtatem conferendi præbendas, ſed eam *ipſo jure* habet, eò quòd omne collegium ſe ipſum in membris deficientibus redintegret, adeo ut etiam caput ſibi eligat, *cap. 1. de elect. cap. 3. de cauſ. poſſ.*

XI. Atque hâc explicatione adhibitâ, cadit argumentum, quod velut palmare ſibi obmoverunt hìc veteres atque recentiores canoniſtæ; & à *Panormitano* num. 8. ſic proponitur: „ Aut fuit ſcriptum capitulo „ *tanquam collatori ordinario*, & tunc literæ debent eſſe nullæ, ex quo „ capitulum de jure non habebat poteſtatem conferendi, nec debet „ teneri epiſcopus, ordinarius collator, quia mandatum factum uni „ non extenditur ad alium; quia Papa non intendit illum gravare; „ quin imò plus dicit textus notabilis in *cap. fin. de præbend. lib. 6.* „ quòd mandatum factum capitulo de conferendo non extenditur „ ad *ſingulares canonicos* habentes conferendi poſteſtatem *alio jure* „ quàm *capitulari*: aut fuit ſcriptum capitulo *tanquam ſuccedenti in jus* „ *epiſcopi*, & ſtare non poteſt; quia capitulum non ſuccedit Epiſco- „ po *in collatione beneficiorum*, ùt in *cap. 2. ne ſede vacante*, & clariùs in „ *cap. un. eod. tit. lib. 6.*: aut fuit ſcriptum capitulo *tanquam executori* „ *& delegato Apoſtolico*, & tunc non debet exſpirare mandatum per „ creationem epiſcopi, quia per deputationem executoris eripitur „ poteſtas de manibus ordinarii, & transfertur in executorem, ùt in „ *cap. ſi ſoli & cap. ſi capitulo de conceſſ. præb. lib. 6.* ergo malè dice- „ bant ibi canonici, quòd collatio non ſpectabat ad eos; & ſubjun- git dictus abbas: *propter hæc contraria & ſimilia hoc capitulum legi- tur variis modis.* Adde *Gonzalez* hìc num. 14. Ex. Ex dictis, *capitu- lum non fuiſſe affectum*, quia nec fuit collator ordinarius, neque iſti in collatione præbendarum ſucceſſit, neque habuit *extra ordinem* à Papa mandatum providendi ſpeciale loco epiſcopi; ſed dico affectum eſſe *quemlibet*, qui aut jam eſſet aut foret Epiſcopus, *quà derivantem jus ſuum à capitulo, & hujus nomine conferentem.*

* * *

SECUNDARIA PUNCTA PRÆSENTIS CAP. PRIMUM.

Diſcutitur verſus capitulis: ſi DATAM litterarum diligentiùs in ſpexiſſes.

XII. Super quo *Gloſſa lit. g.* ait: „ ad hoc ſemper conſuevit notari hæc „ decretalis: *quòd data literarum ſemper conſideranda eſt:* unde & *Ludo- vic. Engel*, qui ex præſcripto almæ univerſitatis hìc prælegitur, *num.* 18. re-

18. *reſcript.* adfert *hoc cap.* 7. pro exemplo regulæ, *quòd in reſcriptis GRATIÆ attendatur TEMPUS DATÆ*; econtra *in reſcriptis JUSTITIÆ* obſervetur *TEMPUS PRÆSENTATÆ.* Sed meo quidem ſenſu parùm appoſitè; quia in *h. cap.* 7. *tempus datæ* non ſumitur *per oppoſitionem* ad *tempus præſentatæ*, ſed *cum incluſione hujus*; non enim afficitur collator ordinarius *per mandatum de providendo*, niſi *ex quo hoc præſentatum eſt*, cap. 27 de præb. cap. 30. de reſcript.*

* *Gloſſa* in cit. cap. 27. „ Si vacat *tempore*, *quo litteræ* DABANTUR, non præ-
„ judicat capitulo, *quouſque ad ipſos mandatum perveniat*; quia non tenentur divi-
„ nare, *cap un. ut benefic. eccleſ.*; unde *collatio medio tempore facta legitima eſt; ſed*,
„ *mandato recepto*, tunc *primò* præjudicatur eis; unde *poſtea* non debent contrarium
„ facere: quòd ſi fecerint, procedetur contra eos, prout hìc dicitur.

Excipit Gloſſa caſum, quo mandatum de providendo adjectam haberet hanc clauſulam: *id irritum decernimus & inane*, nempè ſi collator alii præbendam aſſignaret, tunc enim non ſolùm *collator ordinarius* erit *affectus*, ſed *ipſum* quoque *beneficium vacaturum*, ita, ut nulliter conferretur alteri: *cap.* 17. *de præbend.* Adde *clem. un. de conceſſ. præb.*

Additio. Effectum *clauſulæ irritantis* habet etiam iſta clauſula: *quod intra menſem à vacationis ipſius notitiâ duxerit acceptandum*, licet ſola & absque clauſula irritante poneretur in reſcripto *dict. Clem. un.* Utramque clauſulam habent *Preces primariæ Imperatoris*; ideóque eò fortiùs inducunt nullitatem collationis alteri præmaturè factæ.

XIII. Ex quâ doctrinâ manat, quòd *preces episcopales*, ſicubi ſunt in uſu Germaniæ noſtræ, tantùm judicentur ad normam *cap. 27. de præbend.*; quia non ſolent continere neque *clauſulam irritantem* neque *adjectionem menſis*;*

* Hinc præjudicia adſunt, ſuccubuiſſe ejusmodi preciſtas, qui prætenderunt præbendam vacantem, quam turnarius citò contulerat, *antequam apparerent in ſuâ formâ preces episcopales.*

XIV. Quodſi verò *poſt harum præſentationem* capitulum, refragando preciſtæ, ſuffragaretur nominato per turnarium in eluſionem precum episcopalium, incideret illud in laqueum *cap. 27. de præb.*, nempe, ut preciſtæ contempto *de reditibus eccleſiæ ſingulis annis proventus aſſignet, donec ei in beneficio præbendali proviſum ſit*;*

* Neque tenebitur nominatus à turnario, atque à capitulo malè admiſſus, præbendam ſemel acceptam propter callidè repudiatum preciſtam dimittere, ſed viderit tunc ipſum capitulum.

Cautela. Propterea ſolent capitula hoc caſu ſibi conſulere, aut turnario collationem ſimpliciter denegando, eò quòd ſint ipſa per inſinuatas preces *perſonaliter affecta*; aut ſi forte is ſibi videatur cauſam probabilem contra preciſtam habere, ipſius nominationem non aliter quàm *ejus periculo* acceptando; non magis autem petenti preciſtæ deferendo, datâ utrique *quatenùs velint*, (neque enim opus eſt ſtatim) poſſeſſione; qui ambo deinde cauſam inter ſe finiant, capitulo ſe nullatenùs immiſcente.

XV. *Gloſſa* cit. quærit, quare in *cap.* 27. *de præbend.* potiùs conſideretur *tempus RECEPTIONIS literarum*, quàm in *cap. Eam te* 7. *de reſcript.*, ubi conſideratur *TEMPUS DATÆ*: & reſpondet, quia in eccleſiâ Turnacenſi *tempore datæ & tempore receptionis* vacavit præbenda. Hoc divinare eſt: *

* Tu igitur dic, ùt ſupra; ſive enim vacârit adhuc *tempore præſentatæ gratiæ* aliqua præbenda, ſive non, episcopus tenebatur huic preciſtæ conferre, aut vacantem, aut vacaturam.

* * *

SECUNDUM.

Ad verſum: ANTE PROMOTIONEM TUAM, juncto infra ſequente; *cùm tempore, quo literæ datæ fuerunt, de capitulo ipſo eſſes, ſicut qui eras archidiaconus & canonicus ejusdem eccleſiæ, nec eſſes adhuc in episcopum CONSECRATUS;*

Quæſtio ſuſcitatur, an ille dici poſſit *promotus*, qui *nondum* eſt in episcopum *conſecratus*, licet foret *electus*, imò & *confirmatus*: *

* Quanquam, ùt ſupra num. 8. notavi, ex ipſo textu erui non poſſit, an *tempore gratiæ* capitulo Turnacenſi *præſentatæ* noſter *Everardus*, archidiaconus hujus eccleſiæ, jam fuerit electus, nec ne, aut à metropolitano Remenſi confirmatus.

XVI. Viſis veterum ac novorum variantibus inter ſe momentis, cenſeo, *ſaltem eo tempore, quo ſcripta fuit iſta decretalis*, neque *electum* neque *confirmatum* ante conſecrationem reputatum fuiſſe *promotum*, ſed retinuiſſe titulum ſuum priſtinum re ac nomine tenus, donec in episcopum eſſet *conſecratus*. *

* *Probo* ex *can.* 1. *diſt.* 100., cujus cujus demum is ſit, an *Pelagii* I. vel II., an verò Concilii *Ravennatenſis*, ùt credit Car. Sebaſt. *Berardus*; per quem canonem eccleſia

dicitur

dicitur *viduata usque ad consecrationem episcopi*; sicut & concilium *Chalcedonense* eam vocat in *can.* 2. *dist.* 75. Hinc est, quòd beneficia, quæ electus præhabuit, non vacent, nisi *decurso tempore*, *de consecrandis episcopis* à canonibus definito, *cap.* 7. *§.* 1. *de elect.* ex Concil. Lateran. III; vacant autem per *solam promotionem.* Hinc confirmatus, nedum electus, se non vocat *episcopum*, arg. *cap.* 8. *de his quæ fiunt à prælat.* in verbis: *ab episcopo vel electo*, quasi inter *electum* & *episcopum* tunc mediârit *confirmatus*, ùt postea. Id quod vel in nummis Sæc. XIV. & XV. cernimus, ubi ante consecrationem legitur: *Electus & confirmatus Trevir. Colon. &c.* Quèmadmodum ante obtentum pallium nemo se scribere *archiepiscopum* audet, *cap.* 3. *de author. & usu pall.* Nempe talis electus & confirmatus nondum est in hierarchico ordine summo episcopatûs, sed adhuc vel inter presbyteros vel inter ministros constitutus: Hinc denique *ab ordinationis die* episcopi solebant *annos sui pontificatûs* numerare, & juxta eundem diem habere ordinem sedendi in choro episcoporum, *can.* 1. *dist.* 18.

SOLUTIO CONTRARIORUM.

XVII. Nec obstat 1.) Quòd ille sit *promotus*, qui habet administrationem episcopatûs, habeat autem *confirmatus* ante consecrationem *cap.* 9. 15. 17. *de elect.* Nam R. licet aliquam habeat, non tamen *omnem* & *plenam*: hinc obmotum *cap.* 15. excipit ea, non tantùm *quæ ministerium consecrationis desiderant*, sed & illa, quæ *majoris inquisitionis discussionem exigunt.* *

* Puta, si quem clericum confirmatus vellet non solùm *privare beneficio*, sed etiam *deponere ab ordine clericali*, ùt hìc tenet *Panormitanus*; quia cui nondum potest conferre ordinem, eidem nec auferre, tametsi tantùm verbaliter. Neque potest episcopus non consecratus judex esse in causis feudorum suæ ecclesiæ, *cap.* 7. *de foro compet.*

XVIII. Neque 2.) Quòd *jam per confirmationem* episcopus alligetur spirituali conjugio suæ ecclesiæ, ita, ut episcopalis dignitas huic vinculo nihil addat, *cap.* 2. *de translat.* R. enim 1.) Cur ergo *in cap.* 4. *eod.* conjugium hoc spirituale *in consecratione* episcopi intelligitur *consummatum*, econtra in confirmatione *tantùm ratum*? Nónne rato firmius est matrimonium consummatum? R. 2. Episcopalis dignitas, quæ sine consecratione non habetur, nihil fortioris vinculi *cum hac ecclesia* post Innoc. III. addit; addit autem *plus potestatis* & *plus ordinis hierarchici divinitùs instituti*, utpote quo in ordine solùm confirmatus nondum est constitutus; ergo neque de suo inferiore ordine ad altiorem divinitùs promotus.

XIX. Neque 3.) Quòd juxta *d. cap. 2. de translat. epiſc.* eccleſia poſt confirmatum episcopum non amplius intelligatur eſſe *viduata* hoc ſenſu, *quaſi ſponſum non habeat*; ſed quia *ſponſus ejus nondum ſit conſecratus*, ideòque eccleſia *adhuc quoad quædam ſit viri ſolatio deſtituta.* Nam ℟. aliud eſt eſſe *ſponſum eccleſiæ*, aliud *eſſe promotum*; ad hoc requiritur plenitudo eorum, quæ quis debet ſuſcipere.

XX. Neque 4.) Quòd electus Lucanus *in cap. 33. de teſtib.* dicatur removendus eſſe *à prælatione* Lucanenſis eccleſiæ, ſi probaretur, quòd bigamus eſſet ob ductam quondam viduam: ergo electus, inquit *Gonzalez*, jam habuit *prælationem*: ſine promotione autem non intelligitur *prælatio.* ℟. Nimium de ſolo electo probaret: removebitur iſte, quatenùs foret bigamus, ab *obtinendâ* prælatione, non *ab obtentâ.*

XXI. Neque 5.) Quòd *cap. 16. de accuſat.* ſi crimen objiciatur *inter confirmationem & conſecrationem* episcopi, & probetur, is *dejiciatur ab obtento:* ergo per confirmationem jam obtinuit, quod prius non habuit; ergo promotus eſt; ℟. Ex hoc ipſo textu claret, quòd confirmatio *partim* ſit promotio, *partim* non ſit; cùm hoc caſu accuſans debeat ſe inſcribere, *non ad ordinariam*, ſdd *extraordinariam* pœnam, ideò, *quia* accuſando *ab obtinendo* repellit, & dejicit *ab obtento:* ergo *ſimpliciter* dici non poterit *promotio*, ſed ſaltem *aliquo certo reſpectu.*

XXII. Neque 6.) obſtat *Extrav. ult. de ſentent. excom.* in quâ *Clemens V.* (alii VI.) declarat, quòd ſummus Pontifex *ante ſuæ coronationis inſignia* ſe in literis *episcopum ſimpliciter* ſcribere poſſit, quin addat *electum episcopum* ℟. *Coronatio* nihil novi nominis aut characteris electo Papæ, ſi quidem hic *jam priùs in episcopum conſecratus* exiſtat, tribuit; ad ſolam enim electionem S. R. E. cardinalium rumpuntur carceres ſeu termini, queis illius episcopatus, qui unus eſt & cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, *can. 18. XXIV. q. 1.*, hucusque limitatus exiſtebat, ita, ut fiat ejusdem plenitudo illimitata; quanquam Romani Pontifices à *coronatione* ſoliti ſint annos ſummi pontificatûs numerare: ſic ait *Gloſſa* in fine libri *Sexti decretalium*, ſuper *datam* ejus, & verbo: *pontificatûs*: „ conſuetudo eſt Romanis Pontificibus, quæ potiùs „ eorum ſolito uſu quàm jure roboratur, quòd *poſt electionem*, *ante*

„ *con-*

„ *consecrationem*, & *coronationem*, non scribunt *pontificatum* in data... „ sed, *suscepti à nobis apostolatûs officii*; & tunc etiam non scribunt „ se *simpliciter episcopos* sed e. g. *Bonifacius electus episcopus*. Item „ tunc non bullant *bullâ integrâ*, sed tunc temporis, si quas literas „ concedunt, ponunt *mediam bullam*, i. e. illam partem, quæ habet, capita (Ss. Petri & Pauli) sculpta, & ex alio latere, quo ponitur nomen, plana est bulla sine nomine... *post coronationem* autem scribunt *pontificatum* in Data &c. Confer ex antiquis *Felinum* in cap. 7. de rescript. n. 6, & ex recentioribus J. B. *Rigantium* in *Regul.* 17. *Cancellar.* à num. 6. usque 23., ubi multò ampliora ordine historico.

XXIII. Neque 7.) Quòd ipsa *confirmatio* papalis jam det confirmato *jus in re*, committendo ipsi ecclesiam, in spiritualibus & temporalibus regendam: quod inducit promotionem; R. hoc quidem verum esse de forma *confirmationis papalis*; sed unde constat, quòd olim, quando *metropolitæ* cum concilio provinciali electiones adhuc confirmabant, sicut tempore nostri *Everardi* Archiepiscopus Remensis, hæc qualis qualis species confirmationis, quæ potiùs *assensus* erat, tribuisset jam *jus in re*? hæc enim metropolitanorum confirmatio nihil ex se concessit, sed *unicè electioni* adhærendo *accessit*, ut esset *perfecta* & completa *electio*, ad quam mox sequebatur *consecratio*, potestatem regendi datura.

XXIV. Nec denique 8.) Quòd datâ *confirmatione papali* eodem momento vacent beneficia, quæ provisus vel confirmatus in curia hactenus habuit; id quod promotionem *absolutam & perfectam* supponit. R. Super hoc stylo *Panormitanus* in *cap. 7. de elect. num.* 3. docet, *non vacare IMMEDIATE beneficia confirmati seu provisi, sed debere expectari, ut iste provisus consequatur priùs administrationem, & quòd consecretur, & quanquam*, pergit, *curia hodie de facto non servet, sed immediatè conferat beneficia pronuntiati; tamen illa collatio non habet effectum seu habere deberet, nisi postquam prædicta intercesserint; quia non debet quis perdere primum beneficium, nisi plenè sit secundum consecutus*, ùt in can. *si quis jam translatus* XXI. q. 2. & in can. *si qui episcopi* 92. *distinct.* meliùs allegâsset extrav. *Execrabilis* Joan. XXII. *de præbend.*

bend. Verùm absque hac crisi, salvatur stylus curiæ & repugnantia Lateranensis concilii, dicendo, quòd istud procedat de confirmationibus, quas dabant electis *metropolitani* & de vacaturis beneficiis, quorum collator est *aliquis inferior*; secus de *confirmatione*, quam dat *Papa*, utpote qui post confirmationem confert beneficia *ob reservationem*: quòd si contingeret, confirmatum ab administratione & perceptione præpediri, restituendus esset in præhabita beneficia.

* * *

TERTIUM.

Ad versum: *pro eo verò quòd Judæus extiterit &c*

XXV. Deducunt ex eo DDres cum Paulo *Laymanno* hìc, quòd à *Judaismo conversus* ad baptismum, postquam constantiæ suæ signa præbuit sufficientia, non sit *irregularis*, proindéque capax *ordinum & beneficiorum*, cum vel sine cura, etiam in *collegiatis* ecclesiis, etsi *cathedrales* essent, vel in *singularibus*, adeò, ut nec ad *episcopatum* sit inhabilis. Rationem dant, quia CHRISTUS, ejúsque princeps vicarius *S. Petrus* cum cœteris apostolis erant Judæi. *

* Excipit *Laymannus* in h. cap. num. ult. nisi *statutum capituli vel ordinis* obstet recipiendo in canonicum vel religiosum; nec Papa suo rescripto inseruerit *clausulam* isti statuto *derogatoriam;* quia esset statutum *de se rationabile*, & *speciale*, cui Papa per *generale* rescriptum non censetur velle derogare. *Cap.* 1. *de constit. in* 6. Veruntamen referre mihi videtur, an statutum *antecesserit* constitutionem generalem; an verò hanc subsecutum fuerit; hoc casu non valebit sine privilegio *contra jus commune* obtento, primo casu valebit statutum.

Hujusmodi statuta vocant Hispani *statuta puritatis*, nempè à gente Judæorum & Maurorum, quorum ad fidem conversorum descendentes Lusitani semper vocant *neophytos* seu *novos christianos*, quousque hominum memoria potest retroire: similia statuta sive consuetudines habent insigniores ecclesiæ collegiatæ per Trevirarum, *nequa persona usque ad proavos inclusivè ex linea paterna & materna* ejus, qui assumi cupit in canonicum, non sit aut fuerit christiana catholica, bonæ existimationis, legitimis naturalibus, & absque mancipatu ingenua: *statuta puritatis* sunt hæc, quibus derogari istis ecclesiis æquè durum accideret, ac derogari statuto requisitæ nobilitatis avitæ ex utroque parente in plerisque nostræ Germaniæ cathedralibus.

SOLUTIO CONTRARIORUM.

XXVI. Huic decisioni multa adversantia congessit *Gonzalez;* sed

pauca ad rem faciunt; quia canonum, quos citat, plerique agunt de *neophytis* seu *nuper modò baptizatis* contra Apostolum non ordinandis, ne succedat hoc eis, sicut parietibus à novitatis suæ humore nondum siccatis, qui, si antequam siccentur, tignorum pondera accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponunt *can. 2. dist. 48.* Non est autem verosimile, quòd *Alexander* III. cuidam *neophyto* dedisset preces ad canonicatum in cathedrali Turnacensi.

XXVII. Duo tamen sunt, quæ aliquid momenti habent, nempe 1.) *Can. 31. XVII. q. 4.* ex Toletano III, ubi officia publica prohibentur judæis, & his, *qui ex judæis sunt*: ergo non solùm iis, qui judæi sunt, sed etiam christianis, qui ex ipsis descendunt, denegantur reipublicæ officia, quanto magis ecclesiæ? R. *Glossa lit. f.* hìc subvirgulata interpretatur: *de familia ipsorum* vel *de judæis de novo ad fidem conversis*; posterior explicatio non placet; quia extra textum saltat; prior est verior, ut intelligantur *judæi & eorum descendentes, non facti Christiani*, quibus non convenit jurisdictio vel alia cura in Christianos subditos exercenda.

XXVIII. 2.) *Can. 93. & 94. dist. 4. de C.*, qui periculum à judæis conversis esse dicunt; quia sicut ait concilium Agathense, *eorum perfidia FREQUENTER ad vomitum redit*, & sicut Toletanum IV, *PLERIQUE ex judæis, qui dudum ad christianam fidem promoti, nunc blasphemantes in Christum, non solùm judaicos ritus perpetrâsse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere præsumpserunt*: Non potuit autem sic gravari ecclesia cathedralis Turnacensis mandato de providendo, ut usque adeo hominem dubiæ in religione constantiæ gremio suo illustri reciperet. R. Præsumendum, quòd *Alexander* III. hanc gratiam isti judæo converso non fuìsset facturus, nisi eum *longioris temporis experimento* censuisset in fide Christi constantem, pium, devotum, ac dignum, qui alicujus diœcesis clero primario aggregaretur.

XXIX. Quomodo autem *Joan. Staphilæus* de *liter. grat. §. ult.*, qui est *de rescript. apostol. in forma Brevis n. 30.* scribit. „ cum *neophytis*, qui vulgò di-
„ cuntur Marrani (nempè in Hispaniâ) *DISPENSATUR ad omnes or-*
„ *dines & beneficia*, dummodo ipsi semper vix erint ùt catholici: facit cap.

„ *te* de reſcript. ibi: *pro eo, quòd judæus extitit, ipſum dedignari non* „ *debes;* de judæis enim converſis fundata eſt eccleſia ſecundùm An- „ gelum. Atqui ſi tales de jure ſint capaces, diſpenſatione non egent! ℟. Diſpenſatione egent *is tantùm in locis*, ubi eis obſtant ſtatuta eccleſiarum: cujusmodi obſtaculum non videtur tunc fuiſſe in eccleſia Turnacenſi; ſaltem non allegatum eſt. Ideo veteres Canoniſtæ ajunt, Papam in ultimo verſu noſtri capituli *antipophorizaſſe*, i. e. per figuram rhetoricæ, quæ dicitur *antipophora*, objectionem converſionis ex judaismo præveniſſe.

* * *

CASUS CANONICI.

PRIMUS.

Sede apoſtolicâ vacante incipit vacare menſe papali canonicatus in Germania, *indultarius Papæ* epiſcopus confert, turnarius pariter nominat capitulo alium.

Q. 1. Quis jure potior? ℟. Is, cui Indultarius. Ita J. Bapt. *Rigantius* in proëmium regular. cancellariæ à num. 80. latè contra noſtros Canoniſtas, *Engel, Schmier, Leuren, Schmalzgrueber.*

Q. 2. Cui dabitur poſſeſſio? ℟. Soli illi, qui docet, hoc caſu jam ſemel ab aliquo obtentum eſſe. Si neuter doceat; ſoli proviſo ab indultario.

Q. 3 Quis judex? ℟. Difficilè invenies; cùm agatur hoc caſu de intentione duorum *ſupremorum inter ſe concordantium*, quorum neuter alteri ſoli interpretationem *Concordatorum Germaniæ*, aut judicis ſine altero dandi poteſtatem recognoſcet.

Q. 4. Quid igitur conſilii? ℟. Causâ coram commiſſione Indultarii inſtructâ, ſuadeo rem transmiſſiones actorum loco trium inſtantiarum ad JCtos, nec Italos nec Germanos, *de conſenſu tamen partium.*

SECUNDUS.

Reſignat canonicus Germanus in menſe papali *coram Capitulo*:

Q. Quis confert? ℟. Papa, vel Indultarius ejus. Contra Georg. *Branden* quæſt. 12 ſuper Concordat. German. à num. 10.; ex quo *Engel* ad præcedentem caſum deſumpſit argumentum à pari. Adhæret ipſe *Rigantius* loc. cit. num. 87. & 125.

TER.

TERTIUS.

Mortuus invenitur, dum excitari debebat ad matutinale officium canonicus 1ma Februarii, qui cubitum ſine morbi querela iverat 31. Jan. hora canonicâ i. e. nonâ veſpertinâ: alius invenitur 1. Jan. qui cubitum iverat nihil morbi queſtus 31. Decembris.

Q. Quis conferet? R. Is, cujus eſt menſis, quo invenitur mortuus, donec alter probet, *adhuc ſuo in menſe* mortuum eſſe.

EX JURE GENTIUM.

TEXTUS.

Si viro *injuria facta ſit*, uxor *injuriarum agere non poteſt; defendi enim* uxores *à* viris, *non* viros *ab* uxoribus, *æquum eſt.* §. 2. Inſt. de injur. ex l. 2. ff. *eodem.* Conf. *l.* 4. *C. de procurat.*

QUÆSTIO.

Eſtne hoc ſcitum juris gentium? R. Neque *primævi* eſt, de quo §. 1. *Inſt. de jur. natur.* neque etiam *ſecundarii*, de quo §. 2. *eod.*

SCHOLIA.

1. Nulla *æquitas naturalis* removet uxorem à defenſione viri, ſive *extra* ſive *intra* judicium; imò admovet, nam

2. Mulieri nec vires *animi* nec *corporis* deſunt ad defendendum virum, imò ſæpè aſtutiùs & dexteriùs eum novit defendere, quàm ipſe eam, vel ſe ipſum. Potiùs

3. *Naturalis ratio*, ceu *lex quædam tacita*, probas uxores impellit, ut jure perſequantur eos, qui maritis illarum injuriam inferunt. Cur impetum naturæ lex Romana prohibet?

4. Turpitudo mariti redundat in uxorem, quæ radiis ejus coruſcat, his offuſcatis obnubitur: quidni & ipſa injuriarum ageret *pro ſe & marito ſimul*, ſi iſte defunctus eſſet, aut abſens neſciret, injuriam, aut ob reverentiam agere non poſſet? *l.* 11. §. 8. *ff. de injur.*, ob quam fatentur JCti, poſſe, ſiquis *maritum uxoris lenonem* appellet, & ſimilia.

5. Quid, ſi maritus mentis inops, impos, expers eſſet? quidſi furioſus, & injuriam pateretur?

6. Sanè, dum leges Romanæ furioſo patri *filium*, qui ſub imperio & poteſtate ejus magis eſt, quàm uxor ſub viro, concedunt curatorem *l.* 1. & 2. *ff. de curator furioſ.*, quæ diſformitas, quòd uxori, interea familiam regenti, id denegetur? Avia, mater

tutelam gerunt *liberorum*; quid obſtat, quominùs *curatelam* talium maritorum? Mulier, etiam *extranea*, admittitur, ut accuſet *ſuſpectum tutorem*; & *uxor* repellatur, ne *vice mariti* injuriam paſſi agat?

7. Dicaſteria hodieque admittunt actrices uxores *pro liberandis carcere maritis*; ſicut ipſamet lex Romana in cauſa liberali *l.* 3. *ff. de liber. cauſ.* junct. l. 1. *&* 2.

8. Fœminas *pro parentibus* agere interdum *causâ cognitâ* permittit *l.* 41 *ff. de procurat.*; quidni etiam pro *maritis*, ſi hi in eodem fato ſint, quo *parentes*? *Hugo Donellus* hoc admittit *lib.* 18. *Comment. de jur. civ. cap.* 21. *pag.* 1040. *lin.* 30.

9. Denique foemina poteſt eſſe *Rex & Judex proprii mariti*, non obſtante præcepto *divino*, multo minùs *naturali*; cur non & *procuratrix mariti* in judicio?

10. Ex his concludo, ſolis *moribus Romanorum*, quos aliæ gentes, licet *non omnes*, * imitatæ ſunt, tribuendum eſſe, quòd prohibeantur uxores pro maritis *injuriâ affectis*, vel *in aliis eorum cauſis*, agere vel defendere.

Vid. notam J. *Teſmari* lit b. in Hugon. Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 5. *§* 8., ubi appellat *Puffendorffium* de J. N & G. lib. 6. cap. 1. §. 9.

EX JURE CIVILI.

AD TIT. XLIII. LIB. III. CODICIS.

De aleatoribus & alearum luſu.

I. Severitas LL. in Digeſtis & Codice probat exceſſum *Romanorum* & *Græcorum* quoad *luſus fortunæ*, quos nomine generali *aleam* vocabant, ludentes autem *aleatores*; licet non præciſim cubico oſſe periclitarentur ſortem.

II. Notus *Corn. Taciti* locus *de morib. Germanor.* cap. 24. *ALEAM* (quod mirêre) *ſobrii inter ſeria EXERCENT, tantâ lucrandi perdendique temeritate, ut cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de LIBERTATE ET DE CORPORE contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit: quamvis junior, quamvis robuſtior, obligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re pravâ pervicacia, IPSI FIDEM VOCANT: ſervos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exſolvant;* hic, inquam, locus oſtendit, quanto ardore *etiam Germani* ſacris ludicris addicti fuerint.

III. Si *Germanos* comparemus *Græcis* & *Romanis*, ipſo in vitio enituit primorum virtus; *fidem* namque *Germanam* exſolverunt, & *pudorem* pro-

professi sunt: *Romani* autem *juris* lusores *Deum blasphemârunt*, teste *l. ult. h. t.*, quod multo nocentius erat quàm corpus suum ludo obligare.

IV. Senatûs Consultum, & constitutiones *Justiniani* imp. licentiam lusûs in valde angustum numerum *quinarium* coëgerunt, *qui corpus exerceret*, & robustum simul & agile formaret, *l. 1. h. t. l. 2. ff. eod.* In hos solùm permissos lusus SCtum concessit pecuniam deponere; quantitatem verò determinavit *Justinianus* in *l. 1. & ult. h. t.* unum *assem* ditiori in singulas vices sive congressus, *multùm diviti solidum*, i. e. aureum sextularem.

V. Non solùm *perditi* denegabatur *exactio*, sed & *soluti repetitio* data est, tam parentibus & hæredibus quàm ipsis perdentibus, 50. *per annos*, imò & *cuicunque volenti*, expendendi in causas publicas, pias vel profanas. *l. 4. §. 1. ff. & l. ult. h. t.*; quæ & potestatem dedit *episcopis* in transgressores inquirendi, & præsidum auxilio ludorum furorem sedandi.

VI. Odium adjecit prætor *contra susceptores ludentium aleis* in pecuniam, iis, si *verberentur* aut *damnum* paterentur, negans actionem, *ubicunque* & *quandocunque*, l. 1. §. 2. ff. h. t. *furti* verò *actionem*, etiam duntaxat in *simplum*, tunc, *cùm domi & eo tempore*, *quo ludebatur*, factum esset, *ibid.* *

* *Simon à Grœnewegen de LL. abrog. & inusit.* ad h. t. Digestor. ait, *Gallorum & Hollandiæ* moribus impunè injuriam, damnum, aut furtum non fieri hisce hominibus: id quod etiam de *Germaniâ* dicendum: exinde autem videas, quantæ necessitatis fuerit id genus homines *Romæ* cœrcere, ut etiam prætor, aliàs æquitatem rigori præferens, extraordinariâ utens potestate, id constituerit, quod de se iniquum est.

VII. Adductas LL. *Justinianæi* juris, neque Germania neque alia Europæ natio recepit, *prout jacent:* nam 1.) Ludendi voluptas non est reducta ad 5. illa corporis exercitia thes. IV.: & coni licent, & ludus trudicularis globulis eburneis, *le noble billard*, & scruporum super tabulam propulsio, die Schiebtafel, etiam in monasteriis & seminariis clericorum; cùm motum corporis lenem habeant. 2.) Licent passim *lusus in pecuniam*, periculo & ingenio, *aleâ* & *arte mixti*, ùt foliorum

rum pictorum, & ille scrupulorum & tesserarum simul, à strepitu *trictrac* dictus ludus &c. 3.) Licent *solo* quoque *ingenio* sine motu corporis consistentes, ùt latrunculorum, *aux echecs*, & solorum scruporum, *aux dames*.

VIII. *Lex* Germanici Imperii *generalis* non extat *de ludorum certorum prohibitione*: de *militibus* habuimus olim concluſum Statuum Imperii pro expeditione contra Huſſitas an. 1427. §. 7, in exercitu non fore tolerandum luſorem, & in aliâ de an. 1431. §. 18. contra eosdem hæreticos, nullus ludet in exercitu *ſub pœna manûs amputandæ*. In ordinatione exercitûs *Friderici* III. Imp. contra *Matthiam Corvinum* Hungariæ Regem de an. 1486. prohibebatur luſus *ſub pœnâ capitis*. Ad hæc inter articulos *Maximiliani II.* Imp. militi teutonico an. 1570. ſcriptos *art.* 221. prohibetur, nequis *ultra quam in parato habet pecuniam*, *ludat*, multo minùs *lucretur fidem de numeranda habens:* ſed ne quidem hæ *militares* conſtitutiones erant perpetuæ.

IX. Leges tamen *particulares* diverſorum Imperii Principum vetuerunt *luſus ſolius fortunæ*, les jeux de hazard, permiſſis ſolummodò *luſibus* periculo & ingenio mixtis, quos vocant, jeux de commerce, ùt Auguſtiſſima Imperatrix noſtra *THERESIA* providè ordinavit pro ſuis dominiis.

X. Quod luſûs cauſa *ſolutum* eſt, moribus noſtris *non repetitur*, ſi modò quis rerum ſuarum ſit arbiter; ſecus ſi *filius familias*, aut *minor* perdidiſſet ultra modum, his pro conditione ſuâ permitti ſolitum: neque ei qui perdidit, non repetenti magiſtratus vel alii in LL. nominati ſuccedunt: *ſic ſervant fidem Germani ludentes*, *priſco more*.

XI. Et qui *ſine dolo* lucratus eſt, ſalvâ conſcientiâ ſibi ſolutum retinere poteſt; quia *lex naturalis* ex pacto adeſt; neque ipſa *lex civilis Romana* impedit *acquiſitionem*, ſed tantùm miniſtrat *condictionem*: quouſque ergo nemo condicit, reddere victor non tenetur id, quod ex alea recepit.

XII. Quid ergo judex faceret, ſi quis *major ætate* perditum luſu atque ſolu-

solutum, non erubescens condiceret? Possétne condictioni deferre? R. *Neg.* sed servaret regulam: *in pari turpitudine melior est causa possidentis*, receptam potius, quàm l. ult. h. t.

XIII. An verò etiam *petenti nondum solutum* victori adjudicabit? * R. *Neg.* Quia possidentis adhuc nummos suos melior est conditio **

* Rarò solutiones protrahi hoc casu, ait *Strykius* in Usu mod. Pandectar. tit. *de Aleator.* §. 3. „ Postquam aulas *irrepsit* hoc malum, & inter illustres ac nobiles „ *quotidianum quasi negotium, nulla fere promptior solutio existere solet, quàm il-* „ *lorum, quæ ludo perdita*: ut adeo, si nobilis vel illustris aliquot millia thalero- „ rum, quos in usus suæ familiæ probè vertit, creditori, jam pecuniis suis quàm „ maxime indigenti, & validissimâ obligatione instructo, debiti restitutionem neget, „ vel moras in solvendo nectat, *hoc ipsi opprobrio non reputetur.* Quòdsi autem „ ludo perditum non propediem solvat, *nobilitati suæ quasi maculam inurat*, & à „ lusore non tantùm sed & aliis verbis contumeliosis proscindatur. Eccum tibi novum *Tacitum* ad mores nostros non tacentem!

** Excipio casum, si, qui hâc causâ convenitur, solitus fuerit debitum ex lusu *etiam cum importunitate* & sine remissione extra judicium exigere ab aliis; tunc enim & illum judex meritò condemnabit, ut solvat, *arg. tit. ff. quod quisq. jur. in alter. & cap.* 17. *de usur.*

XIV. Quid de *clerico* & *monacho* foliis pictis vel aleâ ludente in pecuniam? R. Hi peccant contra SS. Canones, * & imperiales constitutiones; ** *Monachi* quidem præter cupiditatis aut mundanæ conversationis culpas etiam peccato *sacrilegii*; cùm nihil proprii habeant, sed res lusui suppositæ sint facultates monasterii piè impendendæ, *clerici* autem *tunc*, cùm pecunias *prospectu beneficii ecclesiastici* redactas exponunt lusui. *Arg. cap. 5. de for. compet.* in verbis *si clericus laicum de rebus SUIS vel ecclesiæ* &c. Neque hìc admittitur prætexta *curialitatis imago*, quâ clerici & monachi per complacentiam erga laicos in conversatione solent ludere; hæc enim consuetudo in cap. 11. *de excessib. prælat.* improbatur tanquam *corruptela.*

* Can. 41. inter, eos qui dicuntur Apostolorum, *episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui aleæ vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor*, & refertur à Gratiano in *can.* 1. *dist.* 35. juncto can. 43 *Apostolor.*, qui eadem subdiacono, lectori, cantori, imò & laico prohibet. *Concil. Elibertin.* can. 79. *siquis FIDELIS aleâ i. e. tabulâ luserit, placuit eum abstinere, & si emendatus cessaverit, post annum poterit communione reconciliari.* Adde *Quini-sextam* can. 50. & *cap.* 15. *de vit. & hon. cleric.* ex Conc. Lateran. IV. *ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

** Me-

** Meretur legi pulcherrima *l. Certissimè credimus* 34. C. *de episc. aud.* Exordium commendat sacerdotii utilitatem in republica: in §. 1. dolet Imperator, nunciatum sibi esse, præter communem rerum fidem, quosdam ex *reverendissimis diaconis, itém que presbyteris* (nam *eo amplius etiam dicere erubescimus*, inquit, *Deo amantissimos nempe episcopos*) *non vereri*, alios quidem *per se ipsos cubos seu tesseras contrectare & adcò pudendum, atque ipsis etiam idiotis à se frequenter interdictum spectaculum; alios verò talem ludum non accusare, sed vel communicare facientibus, aut sedere spectatores actûs indecori &c.* §. 2. dicit Imperator, se quidem talia clericis sæpe prædicâsse, sed visâ, quæ sibi de his fiebat, relatione, *incidisse in necessitatem ad præsentem veniendi legem, tum propter suum super religione studium, tum etiam propter sacerdotii ipsius simul & communis reipublicæ utilitatem.* Sancit §. 3. *neminem neque diaconum neque presbyterum, & multo magis neque episcopum* (*quod quidem & incredibile forte videri possit*) *neminem eorum de cætero aut cubicare*, i. e. *tesseris seu aleis ludere, quocunque aleæ genere aut ludo &c.* idem extendendo *in reliquos clericos, subdiaconos nempe & lectores* §. 4. si coram *patriarcha, metropolitâ*, vel *episcopo* convictus fuerit *diaconus* aut *presbyter*, aut fortè etiam *Deo amabilis episcopus* (quod quidem iterum *neque eventurum esse* credit) *esse aleator vel aleatorum particeps*, eum separari à *sacrâ liturgiâ* jubet, *imponi ei canonicam pœnam, & definiri tempus, intra quod conveniat ipsum jejuniis & supplicationibus utentem cum lacrymis & pœnitentiâ magnum propitiari Deum super tali transgressione.* Confer *Nov.* 123. *cap.* 10. à versu: *interdicimus autem.* Si credat quispiam, se non ligari hac lege Principis *sæcularis*, saltem recogitet, *indecori declarationem* adesse, & *Ss. Canones* idem sanxisse: an mos contrarius fas sit, CHRISTUS omnes judicaturus, detractâ curialitatis & moris nostri larvâ, manifestabit, voluptate in lacrymas abiturâ.

AD TIT. XLIV.

De religiosis & sumptibus funerum.

I. Obnoxios criminum, *supplicio subjectos*, sepulturæ tradi non vetuerunt *Diocletianus & Maximianus* A. A., rescribentes *Gaudentio.* l. 11. h. t. *

* Hæc lex sustulit, quod *Ulpiani ævo*, qui sub Alexandro Severo floruit, moris erat, ut punitorum corpora *non aliter* sepelirentur, quàm si id *petitum* & *permissum fuerit l. 1. ff. de cadaver. punitor.* sicut olim, teste eâd. lege, *nonnunquam* denegabatur humatio, maximè *majestatis damnatorum.* Ita hodie adhuc Germani, licet politiores suis majoribus pridem effecti, rectè alia cadavera relinquunt in patibulo, alia super rotam, alia sub patibulo ignominiosè sepeliunt, aliorum crematorum cineres in profluentem conjiciunt, sine asperitatis nimiæ maculâ. Quanquam, si non obstet sententia sæcularis judicis, ecclesia punitorum, *post pœnitentiam Deo peractam*, corpora non repellat, quò minùs *ad ecclesiam deferantur, missæque & oblationes pro eis fiant.* can. 30. XIII. q. 2. ex Concilio provinciali Moguntino an. 847. sub *Rabano* Archiepisc., quem canonem variavit Gratianus.

II. *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito*, lex XII. Tabb. fuit: ſepelientem 40. aureis mulctavit imp. *Hadrianus*, & magiſtratum, qui id paſſus eſt; corpus transferri juſſit, & locum publicari; *l. 3. §. 5. ff. de ſepulch. viol.* Jam pridem ergo id vetitum eſſe reſcripſere Impp. *Dioclet. & Maximin.* dantes cauſam, *ne SANCTUM municipiorum JUS POLLUATUR.* l. 12. h. t.*

* Hinc extra muros Trevirenſes, præſertim in *Campo Martio*, qui erat extra portam *Martis*, nunc *S. Simeonis*, inter Aquilonem & Eurum, nec non intra foſſatum S. Maximini, ſarcophagi multi lapidei & reperti ſunt, & fodiendo hodieque deteguntur, tam gentilium quàm chriſtianorum, qui effoſſi aquæ fontanæ vel pluviæ excipiendæ ſerviunt.

Additio. Salubre exemplum ſecutus eſt Sereniſſimus Princeps Elector Trevirenſis CLEMENS WENCESLAUS, dum an. 1777. & 78. in ſecundâ ſuâ reſidentiali civitate *apud Confluentes* novum cœmeterium extra muros conſtituit §. 7. der Beerdigungs-Verordnung; ubi generaliter voluit, ut ſi in civitatibus, oppidis, & communibus majoribus, cœmeteria forent nimiùm ædificiis circumſepta, vel non ſatis capacia, transferantur vel extra muros & ſepta, vel in regiunculas locorum à domiciliis remotiores, liberóque äeri expoſitas.

III. Poſtea cœmeteriis communibus intra mœnia *juxta vel ad eccleſias* Chriſtianorum conſtitutis, (*can.* 19. in fin. *apud memoriam martyrum*, ex S. Auguſtino, *XIII. q.* 2.) res eò usque progreſſa eſt, ut *in ipſis templis* eligerentur & darentur ſepulturæ *can.* 17. ex S. Gregor. M. *ſi in eccleſiâ ſepeliantur*; quem abuſum abrogavit Concilium *Nannetenſe*, habitum ſæc. VII, ùt putat *Berardus* part. 1. cap. 18., *Nanneti* in Gallia; cujus loco *Gratianus* inſcripſit erroneè Concilium *Varenſe* aut *Vaſenſe*, dum refert can. 15. *XVII. q.* 2. ibi: *prohibendum eſt etiam ſecundùm majorum inſtituta, ut in eccleſia nullatenus ſepeliantur; ſed in atrio, aut in porticu, aut in exedris* * *eccleſiæ: INTRA eccleſiam verò & prope altare, ubi corpus & ſanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur.* **

* Per *atrium* eccleſiæ intellige den Kirchhof, per *porticum* periſtylium, den Creutzgang, per *exedram*, locum in periſtylio, ubi orationis, aut ſacræ lectionis, meditationis, & piæ collationis cauſâ convenerunt clerici & monachi, cujusmodi ſupereſt in Metropolitanæ Trevirenſis periſtylio, cùm ex eccleſia per illud pergitur in templum B. M. V., ubi olim fratres S. Petri ſepeliebantur.

** Eundem canonem eisdem proximè verbis refert *Regino* Prumienſis *lib. 1. de diſcipl. eccleſ. cap.* 126. præmiſit alium *capitulis ſynodalibus* num. 124. *ut nullus deinceps in*

ecclesia mortuum sepeliat, & ex Conc. Meld. num. 123. *ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia quasi hæreditario jure, nisi quem episcopus aut presbyter pro qualitate conversationis aut vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat.* Cúmque libellus *Reginonis* principaliter scriptus sit pro directorio cleri Trevirensis, ex *cap.* 123. subsequentibus comparato colliges, tunc per Treviratum non quidem *omnem*, sed duntaxat *hæreditariam & promiscuam* sepulturam *in ecclesiis* fuisse prohibitam. Hanc moderationem iniit quoque prælaudata constitutio Serenissimi Trevir. CLEMENTIS WENCESLAI; cùm enim hactenus in ecclesiis parochiarum & monasteriorum invaluisset summus & intolerabilis abusus, ut sepulchra *hæreditario jure* à quibuscunque haberentur, modò singulis annis in commemoratione omnium fidelium defunctorum cereo illuminarentur à possessoribus; & vel mediocris fortunæ civis erubesceret in atrio ecclesiæ sepeliri; atque ita cadaveribus repleta essent omnia ferè templa parochialia, & regularium mendicantium, non absque periculo sanitatis; simpliciter prohibuit § 1. *nequis in ecclesiâ sive sæculari sive regulari, aut in capella divino officio deputatâ, sepeliatur*: Excipiuntur § 4 illæ familiæ, quæ hactenùs ibi habuerunt sepulchra seu cryptas majorum, fornicato opere, eâ tamen lege, ut divisis per muros cellis funera, calce vivâ cooperta, includantur, lapide frondato studiosè claudantur, nec ante 30. annos denuo aperiantur. §. 5 Consimili prærogativâ si *de novo* gaudere vellent aliæ familiæ altioris ordinis, *soli Principi* reservatur concessio; quâ tamen non indigent *pastor & patronus* ecclesiæ, nec non *loci dominus*, dummodò sepulchra murato opere quoque & fornice firmentur. §. 6. *Clerici Collegiatarum & Religiosi* monasteriorum vel in peristyliis, vel aliis *extra ecclesiam* locis, humantor.

Hæc ferè concordant *canoni* 18. *XIII. q.* 2. ex Concilio *Moguntino* I., quod an. 813. sub archiepiscopo *Ricolfo* cum aliis archi- & episcopis habitum est in claustro Basilicæ *S. Albani M.* can 52 *Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut Abbates, aut digni presbyteri vel fideles laici.* Conc. Germ. tom I. pag. 412. Quem canonem sic mutavit capitulare anni 813. Capp. Tom. I. pag. 501 *ut mortui non sepeliantur in ecclesiâ, nisi episcopi, vel abbates, vel fideles & boni presbyteri*, omissis *laicis.* Particulam *infra* mutavit *Gratianus* per *intra*, non malè, cùm sæpè sint synonymæ, quamvis *infra* etiam denotet *propè* tantùm, non *intra*: certè textus can. 52. exclusivus nequit *de atrio* ecclesiæ intelligi, cùm in hoc etiam diaconi, cæterique aliàs non prohibiti sepeliri potuerint.

IV. Interim, non obstante, qui antea viguit, abusu aliarum ecclesiarum, in his sepeliendi *promiscuè quoslibet sepulchra redimentes eleemosinâ*, ecclesiæ tamen *cathedrales*, *abbatiales*, & nonnullæ *collegiatæ** hucusque servabant se eò immunes, ut *soli episcopi* in primis & in reliquis, *soli abbates* in abbatialibus, humarentur per Germaniam.

* In Collegiata *S. Paulini M.* extra muros Trevir. pro reverentiâ Ss. Martyrum, & Archiepiscoporum ibi quiescentium nemo unus sepelitur. Canonici & vicarii aliàs sepe-

ſpeliebantur in adjacente parochiali S. Walburgis V.; nunc autem in anguſtâ nec cultu frequentatâ capellulâ *Ss.* Martyrum. In ſuperiore Eccleſiâ *S. Simeonis* intra muros inde a ſæc. XI., quo ex portâ Martis formata eſt, uſque huc nemo ſepultus eſt niſi *S. Simeon* ſolitarius reclusus, & Ven. *Poppo* archiep. fundator hujus collegiatæ. Canonici & Vicarii ſub lapide bene clauſo conduntur in eccleſia *inferiore* quæ fert onus ſuperioris: alii qui non ſunt de choro, honoratiores, intra immunitatem fortè commorati cum canonicis, ſepeliuntur in capella *S. Stephani*, cultûs ſacri experte.

V. Poſtquam verò in eccleſiis aliis, parochialibus, & regularibus, invaluit mos, intra eccleſiam ſepeliendi, multitudo oblationum, cereorum, pannorum, fecit ſtudium rapacitatis ſubintrare; contenderunt inter ſe parochi & regulares, præſertim mendicantes: inde pleraque capitula *Decretalium Gregorii IX, Sexti, & Clementinarum* haſce controverſias deciderunt, e. g. de *electione ſepulturæ*, de *portione canonicâ* ex ejusdem lucris, de *ſepulcris majorum*, de *exhumandis & eccleſiæ parochiali reſtituendis cadaveribus;* quibus deciſionibus caruiſſemus, ſi & antiqui canones ſervati, & modus impenſis funerum atque exequiarum ad ſupremum luxûs gradum promotis, tempeſtivè poſitus fuiſſet, * queis diteſcebant eccleſiæ, ** & exhauriebantur familiæ.

* Non poſſunt itaque Treviri ſat gratias agere Sereniſſimo patriæ noſtro Patri, quòd tam locis ſepulturæ quàm pompis legem fixerit; nam curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, *magis vivorum ſolatia, ſunt, quàm ſubſidia mortuorum*, ùt ait *can.* 22. *XIII q.* 2; ſi tamen dici poterant vera vivorum ſolatia, quorum facultates auferebant.

** *S. Greg.* M. relat. in *can.* 12. *d. c. & q.* reſcripſit *Januario* epiſcopo: „ *ſi quando aliquem in eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſi quidem parentes ipſius proximi, & hæredes pro luminaribus* SPONTE QUID OFFERRE VOLUERINT, accipi *non vetamus.* PETI *verò aliquid aut exigi omnino prohibemus, ne, quod valdè irreligioſum eſt, aut* VENALIS *fortaſſe, quod abſit, dicatur* ECCLESIA, aut VOS DE HUMANIS *videamini* MORTIBUS GRATULARI, *ſi ex eorum cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium.* „ Quam graves computus pro funerationibus miſerint hactenùs eccleſiarum cuſtodes & ſacriſtæ hæredibus defunctorum, ſine prævia taxa epiſcoporum, ut corvi & vultures eſſe credentur cadaveribus paſcendi, ſatis compertum eſt.

AD LIB. IV CODIC. TIT. I.

De rebus creditis & jurejurando.

I. Ait *l.* 1. *h. t.* Imp. Antonini, qui se *Caracallam* condixit, an. 214 lata: *causâ jurejurando* ex consensu utriusque partis (nempè *extra judiciali* sive *voluntario*) vel adversario inferente, delato & præstito (i. e. judiciali) vel remisso, *decisa*, *nec perjurii prætextu retractari potest*, *nisi specialiter hoc lege excipiatur.*

II. Id ipsum sensêre gentiles JCti in *l.* 31. *l.* 40. *ff. de jurej.* *l.* 15. *ff. de except.* Rationem reddit *Pomponius*, per jusjurandum *transactum* videri, & *Ulpianus*, stari enim religioni debere, *Paulus* autem, sufficere perjurii pœnam *l.* 21. 22. *ff. de dolo malo.*

III. Futiles, tantisque JCtis indignas rationes vocat hìc *Simon â Grœnewegen*, quas sine indignatione animi legere ipse atque expendere non potuerit: cui suffragor cum *Labeone* in d. l. 21.

Quæ enim firmitas sit transactioni *dolo malo* obtentæ? Quî poterit *perjurium* vocari *religio*? Cur sufficiat *pœna perjurii*; sive quia Deum ultorem habet *l.* 2. *h. t.*, sive quia magistratus puniat? Nam præter pœnas Deo & Reipublicæ debitas læsioni privatæ satisfaciendum est, *l.* 5. *ff. de calumn.*

IV. Hinc LL. Galliæ, Sabaudiæ, nec non Hollandiæ, Zelandiæ & Ultrajecti statutis, contrarium asserit teneri idem *Simon.*

V. Et, si quæram, cur illam *exceptionem* posuerit *Antoninus* Imp. legi suæ, *nisi specialiter* &c., nullam *ejus ætate* poteris ostendere:

* Anxiè eas conquisivit *Glossa* ad verba: *nisi specialiter*; sed ipsamet agnovit, neque esse aliquam in 31. *l. ff. de jurej.*, neque in *l.* 4. *ff. stellionat.*, vel etiam *in l. penult. C. de transact.* aut in legibus & authenticis aliis ibi obmotis, quæ nomen exceptionis mereatur.

VI. Unicam veram, sed ætate *Caracallæ* longè posteriorem, adducit *Glossa* in *l. ult. h. t.*, quæ est nova decisio Justiniani Imp. an. 532. edita: ubi ad exactore legati, qui juravit hoc sibi relictum esse, *manifesto facto perjurio*, repeti solutum potest: *necui ex delicto impium sibi lucrum afferre legibus concedatur.*

VII.

VII. Verùntamen *regula* hìc potiùs traditur, derogans d. l. 1. & omnibus, quibus hæc ſuffulciebatur, quàm *exceptio;* propter verbum: *necui* i. e. *nulli*, quod generaliter lucrum ex perjurio excludit, conſequenter *contra omnem perjurum* dat actionem.

VIII. Quid verò, ſi is, qui actionem ſuam probare potuit per literas cambiales, quas in ſacco tenebat, reo, aſſerenti debitum ſolutum, ideóque dictas literas laceratas eſſe, deſuper juramentum detulerit, & hoc præſtito, mox easdem integras ex ſacco coram judice protraheret, an & ille probato perjurio conſequetur, quod petiit? R. Conſequetur; ſed puniendus erit à judice, ſi prævideriť falsò juraturum; quia plus quàm homicida eſt. *can. 5. XXII. q. 5.*; & ita in caſus contingentia feciſſem, ſi plus quàm *merus* conſilii gratiâ *adlectus* fuiſſem: judex autem, vir bonus, cohorruit, & pœnam, quam captioſus actor meruiſſet, diſſimulavit.

CASUS CIVILES.

PRIMUS.

Barbarius anno 1621., quo moneta minuta fuit æroſa admodùm, teſtamento legavit Philippo 600. florenos Rhenanos, in quemlibet putandis tribus capitellis vel 36. petermængis, moritur anno 1624, quo moneta illa meliore lege cuſa fuit: idem an. 1621. per actum inter vivos donavit 600. florenos Rhenanos pariter in moneta connumeranda ſiſtendos Nervæ, ſolutione collatâ in tempus mortis ſuæ.

Q. An ejusdem bonitatis intrinſecæ monetam minutam prætendere poſſit *Nerva*, cujus *Philippus*. R. Neg. ſed Nerva deteriore contentus erit, *Philippo* dabuntur petermængi, aliive nummi minuti meliores, qui currebant mortis tempore.

SECUNDUS.

Ardet domus A; vicini C. & D. decernunt domum B. ardenti A. quidem proximam, ſed nondum flammis correptam, demoliri ad defendendas ſuas ab incendio: repugnat dominus: illi deſtruunt. Dominus agit interdicto reſtitutorio: *quod vi.*

Q. 1. An obſtet ei exceptio: *incendii arcendi causâ deſtruximus* R. *Neg.* Elidetur enim replicatione: *ſine juſſu magiſtratûs diruiſtis domum nondum ardentem.*

Q. 2. Quid si *magistratus* jusserit? R. Si manifestum, feciſſe *absque probabili metu progressuri incendii*, tenebitur ipse: secùs, contribuent omnes, quorum ædes salvæ manserunt, exemplo *l. 1. ff. de lege Rhod.*

TERTIUS.

Pater emit bonâ fide fundum à non domino, possedítque 10. annis, filius, usucapione nondum completâ, invenit fundum esse alterius, quàm qui vendidit; sed quoniam timet, ne pater monitus nihilominùs fundum non restituat cum periculo animæ suæ, tacet: fit hæres patris.

Q. An fundum salvâ conscientiâ retinere possit? R. Affirm. quia pater usucepit.

EX HISTORIA, ET JURE PUBLICO S. R. I.

I. *Wild- & Rhingraffii Salmenses*, per diploma *Ferdinandi II.* de anno 1623. in principes S. R. I. ob insignia in Imperatores, & Imperium merita elevati, anno 1654. in Collegium Principum solemniter introducti, in scamno eorum sæculari voto gaudent virili. *

* Rescriptum Ferdinandi III. dat *Lünig.* Contin. 2. Contin. 2. pag. 484.

II. In conventibus circuli Rhenani superioris sereniſſimam Domum Austriaco-Lotharingicam, *quà Marchionem de Nommeni* immediatè sequuntur.

III. *Comitatus* olim *Salmensis* per *art. 26. pacis Ryswic.* à Cæsare, Imrio, Regeque Christianissimo pro vero agnitus est *principatu*; justissimo ergo titulo pro tali habetur, & talis publicè denominatur.

IV. Si possibile esset Statibus A. C. clausulam articuli quarti pacis Ryswicensis-*Religione tamen catholicâ in locis sic restitutis in statu, quo nunc est, permanente*, per allegatam, ipso facto tamen à dictis Statibus contradictam, à Catholicis verò non acceptatam protestationem infringere; subsisteret tamen clausula ista in terris *Salmensibus Wild- & Rhingrafficis* propter existentia in Sereniſſima Illustrissimaque Domo ista pacta specialia, scilicet Recessûs *Dhaunensis* de anno 1696. art. 10. in vim articuli primi recessûs *Francofurtensis* de anno 1700., à circulo Rhenano superiore guarentigiati, & in vim. reiteratæ obligationis per art. 1. recessûs *Kyrnensis* de anno 1701.

V.

V. Ambigua multùm usque huc in Imperio Germanico ventilata quæstio, *an primogenitus, in ordinibus majoribus constitutus, succedere possit in paternos principatus* & comitatus *Imperii sæculares* decisa esse videtur per illustrem transactionem Parisiensem de anno 1771. inter Principem *Ludovicum Carolum Ottonem* Salm Salmensem primogenitum, in subdiaconatûs ordine tum temporis constitutum, & inter Fratrem ejus secundo genitum sæcularem *Maximilianum Fridericum;* transactionem ejusmodi Sacra Cæsarea Majestate confirmante, & Principe *Ludovicos Carolo Ottone*, adhucdum Clerico, in Comitiis Imperii in scamno Principum sæculari ad suffragium virile admisso.

VI. Firmatur præcedens corollarium per contutelam legitimam Principis *Constantini Alexandri Salm Salmensis*, primogeniti minorennis, ejusque Fratrum natu minorum, nec non per administrationem ditionum & terrarum Salm Salmensium à Sacra Cæsarea Majestate Sereniſſimo Principi *Wilhelmo* Salm Salmensi, *Episcopo Turnacensi*, unà cum Sereniſſima Matre nuper commissam; quoniam à jure tutelæ ad jus succedendi, observato tamen ordine primogenituræ, optimum fit argumentum.

VII. Non existentibus pactis successoriis, aut observantiâ particulari in successione Illustrium, *jus sanguinis*, id est, *proximitas gradûs* justè observatur, non obstante *prætensâ bonorum* olim *communione allemannicâ*, prærogativam gradûs non excludente.

VIII. Subsistit inter Sereniſſimam Domum Palatinam & *Salmona Wild- & Rhingrafficam* pactum confraternitatis, & mutuæ successionis ita dictum *Düsseldorfianum* de anno 1698, ab Imperatore JOSEPHO I. confirmatum, vi cujus Sereniſſimæ Domui Palatinæ post extinctam stirpem masculinam Salmonam Wild- & Rhingrafficam plures hujus cedunt ditiones; hæc verò post extinctionem lineæ *Rudolphinæ* Palatinæ in certas, per recessum separatum definitas, vicissim succedit ditiones & terras.

EX

EX JURE FEUDALI.

I. Inter causas amittendi feudi *II. Feudor.* 24. §. 2. numeratur hæc: *qui dominum suum, cum quo in prælium iverit, in acie periclitantem dimiserit;* tenetur enim eum (vasallus) à morte liberare, si potuerit. *II. Feud.* 39. §. 3.

II. Si dimiserit dominum, *nec mortuum, nec ad mortem vulneratum,* privabitur feudo, *I. Feud.* 5. Nolim hinc inferas, quòd liceret tunc vasallo dimittere *aciem*, aut etiam *dominum*, quem lethaliter vulneratum hostis insuper mox vellet occidere.

III. Quod communiter notant DD., & cum his *Engelius*, si vasallus ad eum casum deveniat, ut moraliter certus sit, *sibi moriendum, nisi fugiat, tunc eum impunè posse fugam arripere*, relicto domino; *quia vita propria præferenda sit alienæ; & vasallus teneatur quidem subire pro domino periculum, non autem certam mortem*, hoc, inquam, alienum est à fide veterum Germanorum; de quibus *TACITUS lib. de morib. Germ.* ait: *cùm ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adæquare: jam verò INFAME in omnem vitam, ac PROBROSUM superstitem principi suo ex acie recessisse.* Vasallus miles est, militi nunquam licet fugere injussu capitanei.

EX JURE CRIMINALI.

I. Dubitant quidam, an *Theodoricus Fladt*, U. J. Doctor, Prætor urbis Trevirensis, & Facultatis juridicæ Decanus, qui & an. 1586. erat Rector magnificus Universitatis, anno 1589. rectè strangulatus & postea crematus fuerit *ut magus.**

* De supplicio consiliarii electoralis, Doctoris *Fläet*, câ occasione Treviris rogo addicti, & justitiâ judicii in eum lati, agit *Delrio Disquis. magic.* lib. 5. sect. 11. & 16. Sed *egregium hunc virum* patrium, chartis nostris haud semel cum laude memoratum, non solidè minùs quàm lepidè defendit *Hauber* Bibliothec. magic. Tom. III. cap. 184., scribit *H. D. T. Tom* 3. *pag.* 170. *not. a.*

II. Ego, licet fatear, in Treviratu processum sagarum usque ad an. 1591.

1591., quo Princeps Elector Archiep. JOANNES à Schönenberg tandem ei modum præscripsit (*Hist. dipl. Trevir. loc. cit.*) satis fuisse popularem & tumultuarium; non adducor tamen eò, ut credam, fuisse *egregium* & innocentem, aut *præcipiti justitiâ damnatum* Fladrium; cùm in prima inquisitione crimen confessus, & præscriptis salutaribus pœnitentiæ atque synaxeos sacræ remediis pœnâ liberatus, dein relapsus, & cùm esset torquendus, *confessus*, piè supplicium sustinuerit. Solummodò rescriptum Electoris *Joannis* ad Rectorem Universitatis nostræ, qui tunc erat *Helias Heymans*, archiepiscopi sigillifer, & S. Simeonis Decanus, nec non ad S. Facultatem Theologicam, expendendum subjicio ex originali.*

* Johan von Gottes Gnaden Ertzbischoff zu Trier, und Churfürst.

Ehrwürdige, würdige, auch Ehrsame, Hochgelehrte, und geistliche liebe andächtige. Euch wird zweiffels ohn vorlengst fürkhommen seyn, in was geschwind Geschrey unser Schultheiß zu Trier, Doctor Dietherich Flad, der Zauberey halben gerhaten, was sich auch folgents mit der Flucht zugetragen. Ob nuhn woll wir erstmhals, als er durch ein oder zwo, Zaubereyen halben hingerichte Personen besagt, darvor gehalten, daß darauff nit sonderlich zugehen gewesen, und derwegen die Sach ein zeithero seines Ehrenstands halben dreyben latzen; So ist aber nachvolgents das geschrey je länger je weitter erschollen, und die Besagungen also heüffigh von exequirten, hohen und geringen Alters, Manns- und Weibspersonen ervolgt, daß wir verursacht worden, die *Proceß*, so viel dieselbige Inen Dietherichen Fladen belangen, extrahiren zu lassen und befinden, daß drey und zwantzigh Zauberey halben hingerichte Manns- und Weibspersonen uff Inen bekendt, standhafftigh darauff verharret, und ein christlich End genhommen haben, daß er mitt und bey inen uff iren Tantz-Platzen gewesen, den Vorgangh in bösen Anschlägen gehabt, auch diesselbige einstheils persönlich ins Werck richten helffen. Welche Bekantnüssen nicht nur unter einem Gericht, sondern von vielen unterschiedlichen Gerichten, von Trier, *Maximin*, *Paulin*, Cüren, Esch, St. Mattheiß, Pfaltzel und Sarburg und sonsten herfließen, daß dan den Verdacht groser gemachtt, daß andere so von denselben Personen besagt, schuldig funden, und Ir verdiente Straff ausgestanden haben, unter denen etliche zimblichenn Ehrenstands gewesen, ausserhalb daß sie, einstheils ires Geitz, andern theil unkeüschheitt und sonstigen teüfflischen Anreitzen halben in solch Unglück gerathen; wie dan ihr aus beyliegenden *Extract* ein solches mit mehrerem zu ersehen habtt, und sonderlich, was über solche bekantnus ein junger Knab, der zu solchen Zaubereyhandel verfürt, frey und ungezwungen uff Inen FLADEN, den er doch zuvorn nit gekent,

gehabtt, mit *description* seiner Person, Stand, und Weesen bekennt, und als er Inen ungevärlich bey einer *execution* gesehen, alsbaldt ohne jemands erinnerung uff inen gedeütet, und gesagt, daß er derjenigh seye, der bey den Tantzplätzen jederzeit gewesen. Neben dem so ist auch unverborgen, was sich volgents zugetragen mit der zum andernmhall understandenen Flucht; thun auch hiebey euch zusertigen, was gemelter D. Flade an uns *supplicirend* gelangen lassen, do er am End sich fast bloß gibt, und begert, Jne zu erlauben vitam speculativam anzunehmen, und uns die *disposition* über seine Güetter heimbgestellt; welches zwar, do er sich nit schuldig wuste, nit leichtlich vonn Jme, als der *notori* geitzig und vermög hiebevorn beschehener *inquisition* also geschaffen befunden, daß Geitzigkeits halben die *Justitia* fast übel *administriret* worden; dardurch wir woll vormhals Ursach genugsamb gehabt, Jnen seines habenden Bevelchs zu beurlauben. Wan wir aber nhun daneben bedencken seinen hergebrachten Ehrenstandt, uns auch erinnern, daß bey den Gelerten, belangen die Bekantnüssen, daß dieser oder jener uff dem Tantzplatzen gewesen, allerhand *difficulteten* fürleüffen, haben wir mehrerer Nachrichtung halben, sonderlich dieweill die Zauberey under die crimina ecclesiastica gerechnet würdt, auch ecclesiastici judices hiebevorn über solche Laster inquirirt, daruff nach Befindung ad judicem laicum remittirt worden, nicht underlassen wollen, bey der Theologen facultæt diese Sach so woll als denn Rechtsgelerten zu consulriren, damit hierin niemandt, er seye hohen oder niedrigen Standts, sich rechtens zu beschwehren hab, wir auch in Handthabung justitien in keinen ungleichen Verstand gerathen. Und ist demnach unser gnädigst Gesinnen, Jhr, so in facultate Theologica seytt, wöllet euch in der geheimb zusammen verfügen, diese Sache Jrer Hochwichtigkeit nach in Bedencken ziehen, und wie Jr sie den geistlichen Rechten, und der Theologen einhelliger Meinungh nach Beschaffen finden werdett, alsbaldt schrifftlich zukommen lassen, damit wir die Gebüer hierin ferners fürnehmen mögen, und der Justitien Jr Lauf ohne respect der Personen gelassen werde, daran beschicht unser gnediger Will, und Meinungh. Datum Witlich den 14ten Januarii Ao. &c. 88. more Trevirensi: nempe an. 1589. nostro moderno more putandi.

JOHAN cum nota peculiari, vulgò ein Zug, *gallicè paraphe.*

Inscriptio involucri.

Den Ehrwürdigh, Würdigen, auch Ehrsamen, Hochgelerten, und Geistlichen unsern lieben andechtigen, Rectorn, und gantzen facultet Theologorum unserer universiteten in unserer Statt Trier.

Ap-

Appoſita erat hæc ſchedula:

Wan auch beyverwarte Acten und Prothocolla von eüch erſehen, ſo wöllet dieſſelbe neben eurem Bedencken fürderlich wieder in unſere Cantzley khomen laſſen. Signatum ùt in literis.

Qua de causa ad eminentiſſimum reſcribentem remiſſa ſunt, quæ tunc communicata fuerunt, & fortè extabunt in archivo electorali.

III. Non omnes *corporum translationes* ad conventicula & choreas magorum & ſagarum in conſtitutis campis, e. g. in Treviratu auf die Faſterauer und Hetzerader Heyd, erant ſomniorum phantasmata.*

* Hujus ſententiæ fuerat quidem aliàs *Hermannus Gœhauſen*, Pandectarum Profeſſor, & Conſiliarius Schaumburgicus, ſed eam poſtea revocavit in Deciſionib. Q. Q. circa ſagas & veneficos editis Rinthelii an. 1630. quæſt. 4. & 5.

IV. *Corpus delicti* in magia non eſt *pactum cum diabolo*, ùt putavit *Thomaſius*, credens de hoc conſtare non poſſe; ſed ſunt *effectus*, *qui nocuerunt*, aut *etiam ſine noxâ*, ſolius curioſitatis aut oblectationis gratiâ, nec divina ope nec humano ingenio, procreati.

EX JURE TREVIRENSI.

Tit. IX. Von Einkindſchaften §. 5. ſic habent Ordinata patriæ: die Kinder erſter Ehe erben gleich mit den gemachten Kindern in den Güteren, ſo in die Erbſchaft gehören: dargegen auch erben die gemachte Vatter und Mutter, ob der gemachten Kinder ein oder mehr ohne Leibs-Erben mit Tod ab inteſtato abgiengen, dieſelbe, neben ihren ehlichen Geſchwiſtrigen, und anderen vermög den Rechten.

Q. An fatrer unitus fratri unito unà cum patre vel matre per unionem factis quoque ſuccedat ad normam *Novel.* 118. *cap.* 2. Ꝛc. affirm.

DIATRIBA MONETARIA,
BIBLICO-CANONICA IN *SICLUM.*

I. *Gratianus* noſter in cap. 9. XXXVI. q. 2. ſui Decreti *S. Ambroſium* ex Apologiâ David cap. 8. ſic refert: *Denique & puellæ pater illius,*

quæ vim concubitûs, nulli desponsata, pertulerit, quinquaginta drachmas argenteas *accipiet &c.* Præceptum Mosaicum est ex *cap.* 22. *v.* 29. *Deuteron.*, ubi LXX. Interpretes græci: δίδραχμα ἀργυρίε, *didrachmata argentea*, sicut & Apolog. David *S. Ambrosii*; Vulgata vetus: *didrachma argenti*; Vulgata nova: *Siclos argenti*; Biblia teutonico idiomate an. 1477. Norimbergæ typo excusa sic habent: Ob ein Man vindt eyn Dirn ein Jungfrauen, die do nit hat den Brutgam, begrift er sie, und gemeynsamt mit ir, kumt das Ding zu dem Urteyl, der do hat geschlafen bei ir, der gebe dem Vatter der Dirnen fünffzig Sickel des Silbers, und hab sie zu eynem Wyb ꝛc. Hebraicus textus habet שֶׁקֶל *scheckel*:

II. *Glossa* hìc verbo: *drachmas*, ait: *DRACHMA, ùt dicunt, est SICLUS: quid autem sit SICLUS*, habes I. quæst. 1. *Judices.*

III. In cap. *Judices* 23. I. q. 1. *S. Hieronymus* in *cap.* 3. *Mich.* sic refertur, *siclus enim viginti obolos habet, quarta pars sicli quinque* * *sunt oboli.* Et constat ab *Exod.* cap. 18. v. 16, *Levit.* 27. v. 25, *Numer.* 3. v. 47.

* Romanis ac Græcis *drachma* non 5, sed 6. obolis constabat; Q. *Rhemnio Fannio Palæmone* grammatico, qui vixit sub Tiberio & Claudio Impp., canente:

Tres siliquas obolus, OBOLOS SEX DRACHMA.... vel ùt ejus carmen de ponderib. & mensur. *Daniel Angelocrator* adfert:

Semioboli duplum est obolus, *quem pondere duplo*
Gramma *vocant*, scripulum *nostri dixere priores*:
Semina sex alii, siliquis latitantia curvis,
Attribuunt scripulo:

Scripla tria drachmam faciunt.... Quodque scriplum *duo oboli*: ergo drachma *sex oboli*: si, quod ajunt, drachma *Hebræorum* drachmæ *atticæ* par erat pondere; 5. *oboli* eorum pares pondere *sex obolis* atticis fuêre: ergo illorum unus $1\frac{1}{5}$ istorum.

Nempè, ùt rursum canit *Fannius*, pondera *minima*, à quibus majora, variabant:

Sed, si par generatim his pondus inesset,
Servarent eadem diversæ pondera gentes:
Nunc variant; etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, sed lege valent, hominúmque repertis.

IV. Quo igitur obtentu *Gratianus* in dicto cap. 9. *drachmam* posuit pro *Siclo*, cùm nec *profanus* siclus *drachma* esset?

V. Non excusabo eum penitus; quia *Apologia David* disertè habet: *didrachmata argentea*: aliquatenus autem potest excusari 1) quia etiam

LXX.

LXX. Interpretes aliquando posuerunt *drachma* loco *didrachma*, ùt *Exod.* 30. v. 13. pro dimidio sicli δράχμη μία, *drachma una.* 2) quia *S. Ambrosius*, eundem textum *Gratiani* in psalm. 43. allegans, utitur verbo *denarii*, denarius autem *drachmæ* pondus habuit: verba *S. Patris* sunt: *dabit, qui dormierit cum ea, patri juvenculæ quinquaginta DENARIOS.*

VI. Quot *drachmas* ergo habuit *siclus?* Solent dicere, siclum *profanum* habuisse *duas*, siclum verò *sacrum* sive *sanctuarii* & templi, *quatuor.* Sed refelluntur per *Ezechiel.* 45. *v.* 13, ubi siclus *Principi populi* pensandus statuitur 20 *obolorum*, & tamen *profanus* erat.

VII. Dico igitur, *siclum* continuisse 4. *drachmas* sive *semunciam;** illarum *duas* fuisse *dimidium* sicli** *tres* dodrantem, *unam* quadrantem.

* *Josephus* Judæus libro archæolog. 3 ὁ δ' δίσικλος, νομισμα ἑβραίων, ἀττικας δέχεται δράχμας τέσσερας. *Siclus verò nummus Hebræorum atticas capiebat drachmas quatuor.*

** *Exod.* 30. v. 13. *siclus viginti obolos habet: media pars sicli offeretur Domino.* Confer suprà thes. III.

VIII. Atque sic stupratorem prædictum debuisse patri puellæ corruptæ *pœnam Legis*, non 100, sed 200, *drachmas* solvere.*

* *Atticas* autem, secundùm *Josephum*, sive græcas drachmas, quarum una librat tantùm 54. momenta, Esger, dum nostra drachma 68. habet. Quàm puri verò argenti, nescitur: hinc divinant, qui 8. *drachmas* putant in *unum thalerum Joachimicum*, à valle *Joachim* in Bohemiâ, ubi argenti fodina, sic dictum *uncialem* 14 $\frac{2}{9}$ *lothonum*; quis enim scit, purius an deterius argentum fuerit in siclo? Adhæc ille uncialis habet 8. drachmas, 68. *momentorum singulas*, quæ *atticas* superant 14. *momentis*, ut *siclus integer* non tenuisset nisi 216. *momenta*, siquidem atticæ drachmæ putandæ sint; dum noster *semuncialis* (quem quia 4. quoque drachmarum nummus est, equidem siclus integer imitatur) 272. tenet *momenta.*

Celeberr. Abbas Senonensis A. *Calmetus*, in illud Genes. 23. v. 15: *quadringentis siclis* an. 1707. commentans, computat istos ad *centum* (corrige per *sexcentas*) *& quadraginta octo libras, sex solidos, & 5. denarios* monetæ Gallicæ, qualis erat sub *Ludovico XIV.* Ast in *cap. 7. Numer. v.* 85. ait, 2400. siclos plus esse 1240. scutatis argenteis (*ecus blancs.*) computans in unum siclum 32. solidos (*Sols*) 5 $\frac{3}{8}$ denarios; quam tamen fracturam omisit ad *Genes.* 23. *v.* 15. scribens: *juxta supputationem, quam secuti sumus, siclus argenti valet duobus & triginta solidis, & quinque denariis:* sic 400. sicli forent 12966. $\frac{2}{3}$ solidi, adeóque 648. libræ 6 $\frac{2}{3}$ solidi, facerent 216. unciales scutatos cum 6. solidis & 8. denariis *Ludovici XIV*, scutatum

per 3. libras, seu 60. solidos, qui modernis solidis notabiliter meliores erant: verùm, ubi *siclum* 32. *solidis* 5 $\frac{2}{3}$ *denariis* æstimaveris, ex 400. siclis surgent ultra 216. scutatos prædictos 19. solidi cum 2. denariis: atque hæc ipsa Calmeti variatio arguit incertitudinem valoris sicli, ad nostri temporis nummos comparati.

IX. Illud facilè cedo, potuisse, extra S. Scripturam, *dimidium siclum in commercio populari* etiam vocatum fuisse *siclum*.* Sed *siclum antiquæ Legis*, sive *sacrum* sive *profanum*, defendo fuisse *tetradrachmum*, 20. obolorum *Mosaicorum*, in singulas drachmas eorum *quinque* putatorum.

* Eo modo, quo sæc. XV. ad Rhenum *dimidius florenus rotatus* usu populi etiam vocabatur *florenus*; ex quo more noster *florenus* numeralis *Rhenanus* 60. cruciferorum, olim 24. alborum, qui dicebantur Raderschillinge, descendit.

X. Neque moveor, quòd LXX. Interpretes, aut quisquis versionis græcæ, quæ hodie extat, author fuerit, *siclum* expressérint per *didrachmum* i. e. duarum drachmarum nummum; nam hoc sæpè eis contigisse, probat *Matthæus Hostus* Rei nummar. veter. *lib.* 4. *cap.* 2. §. 9. multis exemplis, idque etiam tunc, cùm S. Scriptura manifestè loquitur de siclo *tetradrachmo*.

NOTITIA MONETARIA MEDII ÆVI EXEUNTIS.

Ex quodam computu menstruo alicujus monasterii de hac urbe an. 1474. mense Novembri.

Item XV. Heller vor Fyß, den ersten Fridach.
Item IIII. Alb vor Eyer eodem die.
Item I. Stufer vor einen Keyß eodem die.
Item II. Heller vor Beschem eodem die.
Item XVI. Alb vor 2. Ferckelen eodem die.
Item IX. Heller herheymzuforen.
Item XVIII. Heller zu schinden,*

* Nempe carnifici pro mactatione porculorum.

Item 4. Flor. XVIII. Alb. der Mede zu Lon.
Item IIII. Heller ir Schog zu bussen,*

* Non purgandis calceis, sed reficiendis. *Wachters* Gloss.

Item

Item IX. Alb. zu Koſten den Zehenden zu verlehnen, hat der Knecht verzehrt.
Item III. Streffen zu Kerch ſchuren, *

* i. e. Schauren, ſicut modò loquuntur Treviri, nempè non ſolùm ſcopis verrere eccleſiæ vel aliud pavimentum, ſed & aquâ inundatum, aut arenâ madidâ fricando mundare.

Item II. Streffen vor 1. Pont Riſſe; hodie Reiß, etiam Treviris, latinis oryza.
Item IIII ½ Alb. ½ Pont Gemers, *

* Hodieque Treviris uſitatum pro zinzibere, Imber.

Item V. Alb. vor einen Krug.
Item XXIX. Alb. vor Fyß zum Feſtach.
Item I. Stuffer den zwo Meden zu kochen den Dach.
Item IX. Heller vor eyn Ampel uff den Dormenter, *

* i. e. pro dormitorio, ubi ſunt cellæ.

Item IIII. Alb. vor Eyer den zwoiten Fridach.
Item III. Alb 4. Heller vor Fyß den dritten Dinſtach.
Item III. Flor. XV. Alb. vor eyn Flotz Hultz.
Item V. Alb. zu laden am Cranen.
Item XII. Alb. zu fuoren dat Hultz.
Item I. Stuf. dem Droſſer, der half dot it geladen ward.
Item IIII. Alb. vor Eyer des dritten Frydaches.
Item VIII. Alb. vor ½ hundert Herincken eodem die.
Item V. Alb. vor Eyer den firden Frydach.
Item III. Alb. vor Fyß eodem die.
Item V. Flor. VI. Alb. vor II. Swin eodem die.
Item II. Alb. zu beſen, *

* i. e. zu beſehen, i. e. pro examinandis porcis, an non ſint glanduloſi.

Item III. Alb. zu ſchinden.

Summa XVII. Flor. mynder I. Heller; vor dem Convent gerechnet Sabatho poſt Luciæ Virg.

In his 30. poſitionibus 5. *monetarum ſpecies* promiſcuè jacent, neque valor earum à latere ad *florenos*, *albos* & *hallenſes* confertur: in ſummis autem

autem istorum computuum rediguntur semper ad *florenos*, *albos* & *hallenses*. Cernuntur in elencho isto *flor.* 10.

albi	155 ½
hallenses -	59
strebæ -	5
stufferi -	3

Hæ monetæ computatæ fecerunt 17. florenos < 1. hallensi.

Q. 1. Quî hos computabis? R. Florenum pro 24. alb. Album pro 12. Hall. *tres* Stufferos pro 45. Hall. similiter *quinque* Strebas pro 45. hallensibus.

Sic rediges 17. florenos < 1. hallensi.

Nempe 17. floreni minùs 1. Hallensi, sunt 407. albi & 11. Hallenses, sive 4895. Hallenses; cùm ad complendos 17. florenos desiderarentur 4896. eorum, 1. floreno 288. Hallenses poscente.

Q. 2. Quales hi fuerint Albi Weispfenninge? R. *Primi*, quorum 24. florenum constituebant, *Albi* erant *rotati*, i. e. simul rotâ Moguntinâ, aliorúmque Rhenensium Electorum scutulis signati Reder- sive Redderweispfenninge: postquam autem *Joannes Badensis* Elector Trevirensis, & *Hermannus Colon.* soli *communes inter se albos* cuderant, *rotatis albis* suppares, *florenus* iste numeralis non constitit ampliùs 24. *albis rotatis*, sed 24. *istis albis*, *pondere & lege diminutis*, licet hi adhuc valerent singuli 12. Hallensibus, sicut valere jussus erat *albus rotatus*: nam & ipsi Hallenses cudebantur deteriores antiquis: hinc est, quòd *Liber Ms. S. Maximini*, ex computibus civitatis Trevirensis collectus, ad an. 1474. notet: der Rheinische Goldgulden XXVI. ½ albus, ad an. 1475. der Rheinische Goldgulden 1. flor. 5. alb. i. e. 29. albos de diminutis, ad an. 1476. hat der Rheinische Goldgulden im Stifft Trier gestanden uff 28. Alb. und der Rader-Albus uff 12. Heller; ... aber der jetziger Achtung nach der Rader-Albus zu 15. (potiùs 13. ùt in Prodromo II. D. T. pag. 1183.) Heller: **trugen 22. Rader-Albus, 2. Heller den Guldon zu 24. Albus.** His igitur annis 24. albis prædictis, qui florenum *fictum* sive *numeralem* per Treviros sistebant, æquabantur 22. albi rotati adjectis 2. hallensibus; quæ summa tenuit argenti puri drachmas 7, & 32 $\frac{5}{8}$ momenta, juxta valvationem in superioris anni

Exer-

Exercitio pag. 25. datam, quâ cuilibet albo rotato puri 23 $\frac{2}{17}$ argenti momenta tributa sunt: deerant ad complendam *unciam* ponderis Colonienſis 35 $\frac{3}{8}$ momenta, Esger.

Reflexio, Moderni *floreni numerales* Rhenenſes, 24 ex una marca procuſi per tolerantiam, continent drachmas 2. argenti puri cum 46 $\frac{3}{4}$ momentis: quanta differentia inter illum de anno 1474? Miror, quòd potuerit & poſſit eſſe JCtus prudens quispiam, qui ſentiat, debito floreno, qui erat ex *bonitate ſua intrinſecâ* vix non 8. drachmarum, ſatisfieri ſolvendo 2 $\frac{3}{4}$ drachmas! Hi *nominum*, non *rerum* ſignificationem adſectantur.

Q. 3. Quid erant tunc ſtufferus ein Steûber, Stûffer, & Streba eine ſtreb, ſtreff, ſtrev? &c. Monetæ pariter multo ære mixtæ; *Stufferus* melior prædicto albo Trevirenſi, *ſtreba* inferior: ſic enim lego in d. MSto ad an. 1480. zween gantzen Stuber, 3. Streben, 2. alb. 1 $\frac{1}{2}$ Schilling, (ſubaudi), *ſunt paris valoris*: Nempe albus unus valuit 12. hallenſes, duo 24. adde 3. horum; quia *ſolidus iſte* valuit 2. Hallenſes, ut ſint 27. Hallenſes; hos ſtiterunt *duo Stufferi*: ergo unus 13 $\frac{1}{2}$ Hallenſes: eosdem 27. hallenſes ſtiterunt quoque 3. *ſtrebæ*: erga una 9. Hallenſes.

In ordinatione monetariâ *Jacobi Badenſis* Archiep. Trevir. de an. 1502. Prodrom. H. D. T. pag. 1180. iſtæ monetæ ſic regulabantur & reducebantur: ein einetzig Philipp- und Karts ſtûfer 14. Heller, eine gantze ſtrebe 8. Heller; albus vero valebat 12. Heller: ſic iſte *ſtrebam* ſuperabat una 3tiâ, *ſtufferus* autem *album*, qui jubebatur *rotatus* eſſe, unâ ſextâ, dum econtra anno 1480 albus *non rotatus* melior erat una ſtreba $\frac{7}{24}$ partibus, minor uno Stuffero $\frac{3}{24}$.

HISTORICUM.

In Decreto *Gratiani* typis excuſo poſt *can.* 59. XVI. q. 1. *Correctores* RR. addiderunt terrificum exitum *Caroli Martelli* Ducis & Majoris domûs Franciæ, qui fuit avus *Caroli M*, proavus *Ludovicii pii* Impp. nempe, quòd ipſe poſt obitum an. 741. in monaſterio S. Dionyſii quidem ſepultus, ſed ſepulchro ejus à *S. Bonifacio* archiep. Moguntino & *Fuldrado* abbate dicti monaſterii ad viſionem extaticam *S.*

Eucherii, Aurelianenſis epiſcopi, aperto, non cadaver inventum ſit, viſus autem ſubito exiiſſe draco, & totum ſepulchrum apparuerit intus denigratum perinde atque ſi fuiſſet aduſtum, quaſi pro ſigno veræ viſionis, quam *S. Eucherio* oſtendiſſet Angelus, *Carolum Martellum* jam ante extremum judicium *corpore* & animà torqueri *in inferno inferiore*, non ſolùm *propter peccata ſua*, ſed etiam *propter peccata omnium*, qui facultates ſuas *pro animarum ſuarum redemptione* ad loca ſancta pro luminaribus divini cultûs & alimoniis ſervorum Chriſti ac pauperum tradiderant, ipſe verò *Carolus Martellus* eas abſtuliſſet, & diviſiſſet; nempe ſub hoc principe ſolitos eſſe laicos dividere epiſcopia & monaſteria ad ſuum opus, ut *nec ulli epiſcopo nec abbati, nec abbatiſſæ* remanſerit niſi tantum, ut *velut canonici & monachi viverent*, ſicut referat Capitulare *Pipini & Caroli M.* 83.

II. Præmittitur, hanc tragicam hiſtoriam ſcripſiſſe episcopos *Remenſis* & *Rothomagenſis* provinciæ ad *Ludovicum* Regem nempe, qui *germanicus* dicitur, *Ludovici pii* filius: ſubjungitur, haberi etiam in vitis *S. Eucherii* episcopi Aurelianenſis & *S. Rhigoberti* archi-epiſc. Remenſis. Lege Laur. *Surium* ad diem. 20. Februarii cap. 6.

III. Q. Quæ fides habenda? R^det^ Cardinalis *Baronius* ad an. C. 741. n. 24. *non poſſe hanc hiſtoriam ſubſiſtere*;

Et probat. 1.) ex eo, quòd *S. Eucherius* decennio ante obierit, quàm *Carolus Martellus*; ſed convellit hanc rationem Hagiographus Antverp. *Godefr. Henſchenius* in Act. Ss. Tom. III. in vita *S. Eucherii* oſtendens, quòd *S. Eucherius* modò an. 743. defunctus ſit, & ſic poſt *Martellum* anno 1. menſibus 4. diebus 5. vixerit.

IV. Probat *Baronius* 2.) ex epiſtola *Ludovici Imp.*, cui prædicta ſcripſiſſent antefati duarum provinciarum episcopi, ad *Hilduinum* abbatem, ubi dicit, quòd proavus ſuus C. *Martellus* S. Patrono ſuo *Dionyſio*, decurſo mortalitatis tempore, quod carius potuit habere, *corpus ſcilicet proprium, in magni die judicii ſuſcitandum & animam Domino præſentandam, fideliter commendaverit.* Sed is, ad quem hoc ſcripsêre episcopi, non erat Imperator *Ludovicus pius*, nec *pronepos C. Martelli*, ſed *Rex Germaniæ, & abnepos ejus.*

V. Probat 3) ex eo, quòd *S. Bonifacius* ad meliorem frugem *Ethelbaldum Merciorum* in Angliâ Regem reducturus, inter alia exempla punitionum Regibus à Deo immissarum de *Carolo Martello* sic tantùm scripserit: *Carolus quoque princeps Francorum, multorum monasteriorum eversor, & ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios commutator, longâ torsione & verendâ morte consumptus est*; non omissurus terribiliorem ad inferos detrusionem, si testis hujus visi draconis oculatus ipse fuisset. Sed, præter quòd ignoretur *annus datæ* hujus epistolæ, proindéque, an *post* vel *ante illam visionem* scripta fuerit, non expediebat, vivo adhuc filio *Pipino* Rege, rem istam, quam duo vel pauci viderant, propalare usque in Angliam.

VI. Probat 4) ex laude, quam *S. Bonifacius* ipsemet tribuit *C. Martello* in congressu cum filio ejus *Carolomanno* an. 742. ab hoc petens, ut Christianæ Religionis cultum, *quem pater ejus animo promptissimo inchoasset & exercuisset*, ipse quoque prosequeretur. *Vita S. Bonifacii Lib. I. c.* 33. Sed redit prior responsio, an hoc *ante* vel *post* visionem contigerit; deinde qui laudat unum factum, non approbat idcirco reliqua, nec negat veritatem aliorum, quæ alicui, cæteroqui laudando, contigerunt.

VII. Probat 4) ex Gregorii III. Papæ præconio, quòd *S. Bonifacius* opitulante C. Martello $\frac{100}{m}$ paganos ad fidem convertisset; hoc enim non proficit ad salutem ei, qui res ecclesiis abstulit, nec restituit.

VIII. Neque magis sistunt fabulæ certitudinem ea, que *Godefrid. Henschenius* loc. cit. attulit. Probat 1.) ab omissione hujus *visionis* in tribus antiquioribus eo, quod edidit L. *Surius*, exemplaribus Mss. vitæ *S. Eucherii*, quæ in substantiâ reliquâ congruunt exemplari Suriano sic, ut sola latinitas hìc & nunc emendatior compareat, res autem ubique eadem; unde putat illi exemplari, quod Surius edidit, seriùs interpolatam fuisse damnationem *Caroli Martelli.* Fateor exemplar Suriani MSti esse posterius tribus illis exemplaribus Henschenianis, quia eorum barbariem velut præceptor corrigit; propterea tamen fabula non erit id, quod plus cæteris narrat: nam & Evangelium S. Joannis quædam narrat, quæ priores Evangelistæ tacent, & vice versâ.

IX. Probat 2.) Ex eo, quòd duo Summi Pontifices Gregorii, II & III, *Caroli Martelli* religiosæ mentis affectum, suumque refugium laudarint. Ad hoc jam supra respondi: tacuerunt ad ejus pellicatum, non exprobraverunt illi relegationes Ss. episcoporum, distributa episcopia laicis: prudenter dissimularunt, ne, principem ferocioris animi increpando, plus nocerent ecclesiæ & propagandæ religioni, cui spiritus bellicosus *Martelli* inserviebat: ipse Deus in sacro codice laudavit *Cyrum* Persarum Regem, quà liberatorem populi sui, qui permisit dimissis ex Babylonica captivitate Judæis reædificare Jerusalem cum templo: inserviit nempe divinæ providentiæ suis victoriis.

X. Probat 3.) Ex rescripto *Ludovici pii Imp.* de quo supra *Baronius* credens, fuisse *eum Ludovicum*, cui historiam *Caroli Martelli* tragicam proposuere episcopi provinciarum, Rhemensis & Rhotomagensis; cùm iste *Ludovicus* esset *Germanicus*, filius *Ludovici pii*, ùt jam monui, & *Henschenius* advertit. Rescriptum extat in *Surio* ad diem IX Octobr. ante vitam *S. Dionysii* Areopagitæ pag. 716. Significat *Ludovicus* in eo proavi sui devotionem & fiduciam in hoc sancto; an autem sciverit, illum non amplius in sepulchro, ibidem electo, contineri, nec ne, non constat: sanè *Carolus M.*, & hic *Ludovicus* in Capitulari 1. an. 803. 814 & 816. commendârunt posteris suis progenitorum suorum exemplum de non dividendis bonis ecclesiæ; & tamen certum est, quòd hac in re *Carolus Martellus* malum exemplum dederit, scribente *Hincmaro epist. 6. cap.* 10. apud *Busæum*: „ Denique tempore *Caroli* „ *Principis*, quando propter discordiam & contentionem de principatu „ inter eum & *Raganfredum* & frequentia ac civilia imo plus quàm „ civilia, quia intestina & parricidalia bella in Germanicis & Belgicis „ ac Gallicanis provinciis *omnis religio Christianitatis* penè fuit abo- „ lita, ita, ut *episcopis in paucis locis residuis*, *episcopia laicis donata*, „ *& rebus divisa fuerint*, *adeò ut MILO quidam*, *tonsurâ clericus*, *mo-* „ *ribus*, *habitu*, *& actu irreligiosus laicus*, *episcopia REMORUM & TREVIRORUM*, *usurpans insimul*, per multos annos pessumdederit, &c. in quem locum sic notat *Busæus*:, ac certè *communis* omnium hujus sæculi scriptorum *querela* est, quòd *Martellus* episcopatus in *homines laicos*, *suarum partium studiosos*, contulerit: hoc hausit ex *Baronio* ad an. 717. n. 10. in fine, ubi quoque idem Cardinalis frag-

fragmentum epistolæ refert, quam de his contra Ss. Canones attentatis *Gregorius II.* dedit ad *Turpinum* episcopum, & refertur à Surio ad diem 4. Jan. in vita *S. Rhigoberti*, episcopi Remensis.

XI. Præter ista *Henschenius* non habet, quod feriret historiam istam, proùt ea extat in vitis *Ss. Surii* sive 4. Januarii sive 20. Februarii, nisi quòd ostendat, hanc vitam scriptam esse, *postquam S. Fuldradus* & Abbas S. Dionysii factus est, & Capellanus regius Pipini; id autem 16. annis post obitum *Caroli Martelli* contigisse. Et verum est, quòd non ante.

XII. Sed fortior aries est, *quo Henschenius* pulsat historiam istam, prout hæc refertur ab episcopis duarum provinciarum Carisiaci congregatis, & legitur apud *Balutzium* Tom. II. Capitular. Col. 109. his verbis: *Nos autem illos vidimus, qui usque ad nostram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, nobis vivâ voce veraciter sunt testati, quæ audierunt atque viderunt*: cùm hoc scripserint 116. aut 11. annis post prætensum hoc factum, quomodo, arguit Godefr. *Henschenius*, Hincmarus, qui 24. post synodum Carisiacam annis vixit, aut alii *episcopi illic congregati, potuerunt plenam rei alibi incognitæ, notitiam habere ab iis, qui an.* 741. *ob morum gravitatem atque ætatem maturam legitimo jure testimonium ferre poterant, non ex ulla antiquiorum testium relatione, sed ipsâ rei inspectione?* R. Sic ergo formale mendacium Regi scripsissent episcopi, & quidem duarum provinciarum, in synodo congregati, ut avaros regum animos à rapinis bonorum ecclesiasticorum averterent, & timore incusso licentiam militarem refrœnarent! Dura sanè creditu hæc audacia fuisset! quod de legitimo teste dicitur, non stringit; præterquam enim, quòd puberes testimonium dicere possint de his, quæ viderunt impuberes, poterant ad removendum lapidem adhibiti fuisse monachi 25. annis majores & vixisse octoginta & pluribus annis sicque, adhuc an. 796. & supra: ab his potuerunt episcoporum an. 858. Carisiaci congregatorum quidam (satis autem erant duo) qui habebant annos 78, hanc vivam relationem anno suæ ætatis 16. aure excepisse. Profectò, si hoc temporis intervallum reddidisset incredibile episcopalis synodi testimonium, ad testes sibi locutos, qui interfuerint & viderint tragœdiam, provocantis,

tot ſubſecuti ſcriptores narrationi fidem non habuiſſent, quorum plures recenſet *Henſchenius* loco cit. §. V. à num. 32.

XIII. His penſatis *concludo*, dici quidem *pro certo* non poſſe, quòd ſit fabula; *fabulam* autem, ùt *Binerus* ſcribit, *videri*, præcipuè, cùm non ſit, cur, prædâ Tartari factâ, nihilominus *draco* inhabitaſſet ſepulchrum, donec iſtud aperiretur, dein verò evolans evanuiſſet.

CONNEXUM.

DE

MILONE Trevirenſis archiepiscopatûs tyranno.

MILO, de quo ſupra, *S. Ludwini* Ducis Lotharingiæ Archiep. Trevir. ante monachatum filius, poſt obitum patris, qui contigit an. 713, *ſacerdotali* functus eſt officio apud *Treberos & Remos, primò quidem imitator patris, deinde tyrannus effectus eſt, nihilque in eo de clericali honore vel vitâ, niſi ſola tonſura, emituit*, inquit Hiſtoria Trevirenſis, quam dedit *D'Acheri* in *Spicileg. Tom. 2. pag.* 212. ex codice Abbatiæ S. Cornelii Compendienſis; *eo enim tempore bella graviora & inteſtina parricidalia in hac provincia orta ſunt, quando CAROLUS tyrannus laicis episcopatus dedit, & episcopos nullam poteſtatem habere permiſit. Cum hoc CAROLO MILO ſupradictus ad bellum profectus eſt, ſolâ jam tonſurâ clericus, habitu & moribus irreligioſus, & poſt victoriam episcopatu TREBERORUM & REMORUM ab eodem CAROLO donatus eſt....* Poſteà refert deſolationes eccleſiarum, mortem CAROLI MARTELLI, viſionem *S. Eucherii*, & ſepulchri à S. Bonifacio aperti prodigium, & ſubdit: *MILO igitur tyrannus, his ita peractis, venationi inſerviens, ab apro percuſſus moritur in villa, quæ dicitur Irane* (*Erang* vel *Ering* hodie, latinè *Eringium*,) *primo à Treveri milliario, ubi & ſepultus eſt poſt quadraginta annos ſuæ tyrannicæ invaſionis.* Stat etiamnum in viâ, quâ ab officina ferri fuſoria, quæ *Quinta* vocatur, aſcenditur juxta ſylvam à dextris ſitam, quæ hodiedum dicitur der Meile Wald, (Milonis ſylva) columna memorialis, lapidis operisque ruditate vetuſtatem indicans, ubi *Milonem* venatum apri dente percuſſum fuiſſe tradunt.

EN

EN FIGURAM.



A. Baſis alta 1. pedem, 2. pollices metri teutonici: quælibet facies quadri lata 2. pedes, 8. pollices.

B. Collumna alta 6. pedes:

C. Rotunda 4. pedes 8. pollices.

D. Diameter 1. pedem 8. pollices.

E. Capitulum, cui ſummitas ſcapi immiſſa eſt, altum 2 pedes: in medio ædiculam habens in facie orientali & occidentali, vacuam.

F. Crux alta pedem:

Scriptura nulla, nec annus, & dies: locus ſepulturæ ignoratur.

Alia

Alia columna ſupra Eringium ſtetiſſe fertur verſus Palatiolum oppidum, in memoriam occubitûs *Milonis*, dum poſt percuſſionem vehebatur illuc: ſed pes inverſus jacet, cum partibus columnæ fractæ ejusdem ruditatis.

Sed & nummus argenteus, legis 15. lotonum *Milonis* iſtius incidit in manus meas hujus formæ:



Librat 18. momenta (Esger) eſtque *denarius Francicus modi Merovingici*, quorum 3. fecerunt drachmam *atticam*, 54. momenta ſiſtentem. Adverſa exhibet S. Petrum in cappa chori, duas claves dextrà tenentem, quarum primæ projectum (der Bart) facit litera P, ſecundæ E, quam ſequitur T. vetuſtas detrivit R. & V. Supereſt inſcitè poſitum S. Ad dextram Petri apparent literæ fugientes TR, ut tota legenda ſit PETRUS TRevirenſis. Similes adverſas quoad claves Petri manu tentas habuerunt quoque nonnulli archiep. Trevirenſes Sæc. XI & XII, ùt *Poppo*, *Eberhardus*, *Egilbertus*, *Albero;* quorum denarios aliàs dedi. Averſa vultum *Milonis* grandi naſo; frons ornatur *infulâ*, qualem deſcribit S. Iſidorus Origin. lib. 19. cap. 30: *eſt faſciola ſacerdotalis capitis alba in modum diadematis, â qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ infulam vinciunt, unde & vittæ dictæ ſunt, quòd vinciant:* eſt hæc *Milonis* diſtincta unionibus: inſcriptio, quæ adhuc extat, ILO ARCI, lege: *mILO ARCHiepiſc.* Pedi paſtoralis tenuia adhuc ante naſum ſurgunt veſtigia.

I. O. H. D.